



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica

Mayr, Anton

MDCCXXXII

Disputatio V. De Proprietatibus Actûs Fidei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84303](#)

non causat, nisi per accidens: nec facit, quantum est ex se, ut reputetur infidelis, sed tantum permittit eam opinionem. Ad confir. neg. ant. Ut jam diximus n. 79. non licet gratis absque causa id facere, ex quo moraliter sequitur aliorum deceptio: quod, tum in aliis, tum maximè in hac materia verum est; videtur enim etiam pertinere ad honorem fidei, ut non sine causa aliquis ita se gerat, ut infidelis possit reputari.

Dices. Plures sunt vestes, quæ assumuntur specialiter ab infidelibus, tanquam ipsis propria, ut constat experientia: atqui nulla causa potest esse licite istis utendi ad se occultandum: ergo. prob. mi. nulla potest esse causa sufficiens ad assumendum signum infidelitatis: ergo. Confir. Tale signum æquiparatur verbo, quo quis diceret, se esse e. g. Turcam: ergo. Resp. dist. mi. nulla causa potest esse iis utendi, si proprietas illa non sit separabilis in ulla circumstantiis. conc. mi. si sit separabilis. neg. mi. & cons. Diximus jam, vestes habere duplēm institutionem: primariam, seu primavam ex rei natura: & secundariam ex lege humana, atque hanc non esse inseparabilem in omnibus circumstantiis.

Si tamen vestis aliqua esset, ex primæva sua institutione, præcisè intenta ad cultum idolatricum, e. g. corona ex idolis, vel similis actio, e. g. gestatio idoli in manu, vel fronte, utique licita non foret, ut jam diximus n. 645. ubi etiam egimus de ueste, cui idolum appictum &c. ad prob. dist. ant. si illa res, quæ ex institutione secundaria est tale signum, adhibeat in circumstantiis, in quibus non separatur illa significatio. conc. ant. si ea res adhibeat in aliis circumstantiis. neg. ant. & cons. Sic aliud utique est, portare uestem religiosam: aliud dicere verbis, se esse religiosum. Nec dicas, usum vestis, propriæ infidelium, esse inseparabilem à significatione infidelitatis; nam, licet hoc dici possit de quibusdam, de quibus modò diximus, e. g. de corona ex idolis composita: at id dici non potest de omnibus uestibus, e. g. de communi tegmine Turcico capitisi: sicut nec de ueste religiosorum.

DISPUTATIO V.

De Proprietatibus Actus Fidei.

657. **H**ac disputatione agendum de certitudine actus fidei, itemque de ejusdem, ac habitu supernaturaliitate: qua occasione etiam tractabimus de supernaturaliitate aliorum actuum, & habituum, tum intellectus, tum voluntatis, ad actum fidei prærequisitorum, ut sic penitus noscatur natura, seu essentia, tum ipsius actus fidei, tum principiorum, ad eum eliciendū necessariorum. Quid certitudo, & quotuplex sit, jam diximus n. 509 unde tantum est opus, ibi dicta huic applicare. Supernaturalitatem, quantum ad has conclusiones rite

firmandas, & explicandas necesse est, sequenti questione attingemus. Addemus aliqua de subjecto habitu fidei: cumque de reliquis duobus habitibus Theologicis, seu spe, & charitate, proportionaliter sit discurrendum, etiam de his statim agemus, ne hic dicta inferius iterum repetere oporteat.

QUÆSTIO I.

De Certitudine Actus Fidei.

ARTICULUS I.

An. & quam certus sit Actus Fidei Theologicæ.

658. **D**ico. Actus fidei Theologicæ est essentialiter verus, nec potest esse falsus. ita omnes Catholici. Prob. Actus fidei Theologicæ debet intrinsecè niti motivo, seu objecto formalí Divino, id est, testimonio DEI, ut probatum n. 38. sed testimonium DEI est essentialiter verum, ut iterum probatum n. 52. & 53. ergo actus fidei Theologicæ debet intrinsecè niti objecto essentialiter vero: consequenter debet etiam ipse esse essentialiter verus, nec potest esse falsus. Confir. 1. Charitas Theologica necessariò debet pro objecto formalí habere bonitatem Divinam realiter talem, & non tantum apparterenter talis (sicut etiam spes Theologica verum DEUM possidendum) alias posset quis amando super omnia falsum DEUM justificari; cum actus verus charitatis Theologicæ justificet, quod est absurdissimum: ergo etiam fides Theologica debet habere pro objecto formalí testimonium DEI realiter tale, & non tantum apparterenter tale. Confir. 2. Actus spesi, & actus charitatis Theologicæ, tendunt in objectum Divinum, ut propositum per actum fidei: ergo, si illi non posunt, tendere in objectum tantum apparterenter Divinum, neque fides poterit proponere objectum tantum apparterenter Divinum; consequenter neque poterit tali niti.

659. Prob. conclusio 2. Habitū fidei est velut instrumentum Spiritus S., per quod hic juvat intellectum ad assensum: ergo debet esse proportionatus veritati Spiritus S. consequenter non potest influere in actum falsum. Confir. Actus fidei, est supernaturalis, ut probabimus infra n. 680. atqui omnis actus supernaturalis principaliter attribuitur DEO, ut docet Apostolus 1. Corinth. 15. v. 10. dicens: *Non ego autem, sed gratia DEI mecum: quod idem docet Tridentinum sess. 6. c. 16.* ubi ait de DEO: *Cujus tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona: ex quibus habetur, merita nostra (inter quæ etiam est actus fidei) esse supernaturalia dona DEI:* ergo etiam attribuitur principaliter DEO actus fidei: sed actus falsus DEO tribui non potest: ergo.

660. Dico 2. Actus fidei est omnino certus
A a 2

certus. ita rursus omnes Catholici. Prob. Ut diximus n. 509. triplex est certitudo, & qualibet competit actu fidei: ergo est omnino certus. prob. ant. In primis actus fidei est certus certitudine objectiva; quia est verus, seu conformis objecto. 2. Etiam est certus certitudine formalis; quia est essentialiter verus, seu essentialiter exigens, objectum ita se habere, prout ipse affirmat, ut patet ex probationibus primae conclusonis. 3. Etiam est certus certitudine adhesionis; quia per actum fidei intellectus adhaeret firmissime objecto, ita, ut excludat omne dubium; esset enim utique gravis irreverentia, si de veritate testimonii Divini dubitaremus; unde C. Dubius 1. de hereticis. dicitur: *Dubius in fidei infidelis est.* Quando autem aliquando aliqui, etiam pii, putant, se non firmissime adhaerere objecto revelato, sed dubitare, saltem indeliberate, dum credunt, non habent dubium stricte dictum, etiam indeliberatum, sive veram vacillationem intellectus, eo instanti, quo fidem eliciunt, ut diximus. n. 505. sed tantum habent aliquos motus phantasias, aut potentiae apprehensiones, quibus quasi apprehendunt, le dubitare.

661. Dico 3. Actus fidei est certior quovis actu naturali, etiam metaphysice evidente. ita omnes, qui non faciunt quæstionem de voce, & non accipiunt in alio sensu hunc terminum *certitudo*. Loquor autem hic, non de certitudine præcisè objectiva, quæ non videtur esse aliud, quam buasi æqualitas, aut conformitas cum objecto, seu re ipsa veritas formalis actus; nam hæc non videtur capere magis, & minus, sed stare in indivisibili; licet enim unum possit esse magis falsum, quam alterum, non potest, strictè loquendo, unum esse magis verum, quam alterum: sicut, licet una linea possit esse magis curva, vel inæqualis tertia, quam altera, non potest tamen, strictè, & mathematicè loquendo, una esse magis recta, quam altera: nec magis æqualis, quam altera. Quare præscindendo à certitudine tantum objectiva, loquimur nunc de certitudine formalis, & subjectiva, seu adhesionis.

662. Prob. conclusio. Ille actus est certior certitudine formalis, qui nititur firmiore motivo, & magis cum veritate conexo: atqui actus fidei, immediatè nexus Divina veracitate (quæ est magis connexa cum veritate, quam omne lumen naturale creatum, quo nititur actus metaphysice evidens) nititur firmiore motivo: ergo. ma. videtur patere ex acceptione vocis *certitudo*; hoc enim intelligitur per certitudinem formalem: & actus, qui nititur motivo, magis exigente veritatem, etiam magis eam exigit, quam aliud actus, qui nititur tantum motivo minus exigente veritatem. Prob. etiam mi. ad discernendum, quodnam motivum ex duobus, essentialiter certis, sit magis connexum cum veritate, non habemus aliud medium, quam comparare ea per hypotheses impossibilis (nam nec motivum

veritatis Divinæ, nec evidentia naturæ metaphysicæ, potest in ulla hypothesi possibili à veritate deficere) & videre, quodnam prius à veritate deficeret, si aliquod ex iis deficere deberet: sed utique quodlibet lumen tantum naturale, quantumvis evidens, citius à veritate deficeret, quam veritas Divina: ergo.

Confir. Etsi impossibile sit, creaturam aliquam impossibile esse, tamen magis impossibile est, DEUM impossibile esse (nam necessitas creaturæ non est per statum; sed per alienationem: necessitas autem DEI est per statum: rursus creatura, si ponatur, habet omnia sua, non à se, sed ab alio: DEUS habet omnia sua à se, adeoque magis impossibile est, hunc esse Chimaram, quam creaturam) ergo etiam magis impossibile est, fallum esse actum, qui nititur infallibilitate Divina, quam qui nititur infallibilitate creatura: sed actus fidei nititur infallibilitate Divina: actus evidens nititur tantum infallibilitate creatura: ergo.

663. Prob. etiam conclusio de certitudine adhesionis. Ille actus est certior certitudine adhesionis, per quem intellectus firmius adhaeret objecto: atqui firmius adhaeret per actum fidei objectis revelatis, quam per quemlibet actu scientificum objectis demonstratis: ergo. ma. est definitio, mi. prob. iterum recurrendo ad hypotheses impossibilis; si enim intellectus deberet deserere aliquod objectum, citius desereret objectum scitum, quam creditum: & sic intelligi debet illud Apostoli ad Galatas 1. v. 8. *Licet nos, aut Angelus de cælo, evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit:* quasi diceret: Licet Angelus beatus non posset falsum loqui, tamen, si per impossibile ille aliquid loqueretur, quod non esset conforme revelationi, quam ego vobis tradidi, non ei creditis, sed habeatis eum, tanquam excommunicatum; & sic revelationem DEI præferatis etiam dicto Angelico.

664. Ex quo tamen, sicut non sequitur, nos ullatenus dubitare de dicto Angelico (nam, quod tantum in suppositione impossibili fieri deberet, utique non fundat ullum dubium) sic neque sequitur, nos dubitare de veritate actu naturaliter evidenter: sicut etiam, si pater dicat: si debet unum filium perdere, mallem perdere Titum, quam Cajum: non sequitur, quod actu velit perdere Titum. Quando autem motivum naturale potest à veritate deficere, tunc, licet ratio naturalis non advertat, id hic, & nunc deficere, si tamen id doceat testimonium Divinum, rationem captivamus in hujus obsequium. Et sic citius negamus assentum vilui, & gustui, qui dicent, in Eucharistia adesse panem, & vinum, quam revelationi DEI dicenti, tantum adesse accidentia: sic ob revelationem contrariam non extendimus ad Personas Divinas illud principium: *Quaecunque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se:* et si videatur intellectus valde inclinari

nari ad existimandum, illud principium etiam ad istas extendi.

665. Hanc adhæsionem firmissimam fidei ad objecta revelata, super omnem adhæsionem ad lumen naturale, passim adstruunt, & exigunt SS. Patres. S. Basilius in psal. 115. ait: *Fides supra rationales methodos animam ad assensum trahens. S. Chrysostomus homil. 21. in c. 11. ad Hebr. sub finem explicans illud: Est autem fides... argumentum non apparentium: ait: Neque rursum, si de iis, que non cadunt sub aspectum, non apertius fuerit quispam persuasus, quam de iis, que videntur, potest esse fides.* Richardus à S. Victore l. 1. de Trinit. c. 2. Quotquot veraciter fidèles sumus, nihil certius, nihil constantius tenemus, quam, quod fide apprehendimus. Huc etiam videtur respexisse S. Petrus ep. 2. c. 1. v. 19. dicens: *Habemus firmorem propheticum sermonem &c.*

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

666. O B. 1. contra 1. conclusionem. Judæi, qui ante Christi nativitatem crediderunt, eam

venturum, potuerunt etiam post ejus nativitatem, quando istam nondum sciverunt, eundem adhuc credere venturum, & nondum præsentem: ergo actus fidei potuit esse falsus. Confir. Actus fidei circa præsentiam Christi in hostia consecrata potest esse falsus; quia potest hostia non fuisse consecrata: ergo. Resp. neg. ant. nam Judæi, etiam ante adventum Christi, credebant eum venturum tempore à prophetis prædicto: nec licet ibis aliquod tempus designare, in quod ferretur actus fidei, nisi quod clare significabatur per revelationem, seu prophetiam; unde quando post Christi nativitatem Judæi affirmârunt, tempus illud nondum transiisse, id faciebant, non ex fide, aut revelatione Divina vera, sed ex conjectura humana falsa.

Si tamen velles urgere, quodd saltem, dum loquebantur prophetæ, poterant Judæi fide Divina credere, tempus præteritum, vel etiam tunc præsens, nondum esse coexistens nativitati Christi. Resp. hoc semper etiam postea verum mansisse: & semper posse adhuc credi; nam semper verum est, & erit, eo tempore, quo prophetabat, e. g. Iсаias, Christum nondum natum fuisse: si autem, vel per possibile, vel impossibile, redderetur aliquod objectum materiae fidei non amplius existens, actus fidei, non posset, illud deinceps affirmare existens pro alio tempore, ut sufficenter probant nostræ rationes. Ad confirm. neg. suppositum ant. Non potest elici, ordinari saltem, actus fidei de præsentia Christi in particulari hostia: si autem elicetur, non posset ea hostia non esse consecrata. vide n. 508.

667. Ob. 2. Virtutes morales possunt

amplecti honestatem tantum apparentem: ergo etiam actus fidei potest affirmare verum tantum apparens, adeoque esse falsus. ant. prob. virtuosè quis largitur eleemosynam facto pauperi: ergo. Confir. Prudentia, quæ est virtus intellectualis, potest dictare, tali facto pauperi dandam esse eleemosynam: ergo etiam virtutes intellectuales possunt tendere in falsum, adeoque etiam fides. Resp. 1. neg. ant. ad prob. conc. ant. neg. cons. Aliud est factus pauper, aliud est facta honestas; licet enim in tali casu paupertas sit facta, honestas tamen est vera; nam revera honestum est, dare eleemosynam illi, qui appetit esse pauper; si enim homines deberent semper esse revera certi de paupertate aliorum, sapissime retraherentur ab eleemosyna danda.

Aliud est, quodd fortè aliquando motivum formale quo talis virtutis possit esse tantum apparens, e. g. respectu misericordiæ paupertas facta: vel respectu justitiae debitum tantum apparens, quod tamen movet ad solutionem. At, cùm hoc virtus non amplectatur, sed tantum præsupponat, nihil inde sequitur absurdum. Sunt tamen Theologi, qui dicunt, objectum etiam formale quo virtutum moralium, esse semper bonum verum, & non tantum apparens: quanquam istud, hinc & nunc, e. g. in casu facti pauperis, non per actum directum, sed quasi per reflexum, attingatur, ita, ut dans eleemosynam pauperi facto, moveatur à vera paupertate, & solvens debitum creditori, tantum apparenter tali, moveatur à vero jure: qua de re videatur Gormaz de virt. Theol. n. 815. Mihi non videtur, opus esse isto responso; puto enim, esse verissimam honestatem in eo actu, quo quis vult dare, aut dat eleemosynam pauperi, facto quidem, sed prudenter judicato tali: & idem dico de solutione debiti, facta creditori tantum apparenter tali: qua ratione saltem objectum formale quod virtutum moralium est semper bonum verum, quod sufficit, quidquid sit de objecto formalis quo.

668. Resp. 2. om. ant. neg. cons. nam, etiamsi virtus moralis amplectetur honestatem tantum apparentem, non ideo posset fides amplecti revelationem tantum apparentem; nam, licet non desint Theologi, qui dicant, objectum virtutum moralium non necessariò esse bonum in se, sed tantum bonum prudenter tale existimat: non tamen potest inde inferri, quod etiam virtutum intellectualium, inter quas est fides, objectum, sit tantum verum prudenter existimat; alias enim virtutes intellectuales non different ab habitibus opinativis; unde objectum virtutum intellectualium est verum re ipsa tale: & vel Logici jam cum Aristotele dicunt, virtutem intellectualem esse eam, per quam anima semper verum dicit.

Resp. 3. iterum om. ant. neg. cons. nam, et si honestas illa creata, quam virtutes morales habent pro objecto formalis quod, esset tantum apparens, & re ipsa fal-

A a 3 fa,

sa, tamen objectum formale quod virtutum Theologicarum non potest esse tantum apparenter Divinum, sed debet esse revera tale; ait enim S. Thomas 1. 2. q. 68. a. 8. *in corp. Virtutes quidem Theologicae sunt, quibus mens humana DEO conjungitur: utique autem mens humana conjungitur DEO vero, & non tantum apparenter tali; alias admitti debent absurdia, n. 658. allata; unde ex mente Angelici non possunt virtutes Theologicae (inter quas etiam est fides) ferri in aliquid, quod tantum est apparenter, & non re ipsa Divinum: quod autem est re ipsa Divinum, est necessariò verum: ergo.*

Addunt hic aliqui, etiam habitum piaæ affectionis (qui, licet entitatè sit moralis, terminativè tamen est Theologicus) non posse elicere suum actum, nisi detur revelatio Divina verè talis. Saltem hoc est certum, quod, nisi detur verè revelatio Divina, non possit pia affectio elicere imperium effectivè efficac (non enim potest sequi tunc effectus, seu actus fidei) quidquid sit de imperio affectivè efficaci. Ad confirm. neg. conf. Prudentia non dicit, hunc esse pauperem, quod esset falsum: sed tantum dicit, huic, qui apparel pauper, in his ipsis circumstantiis paupertatis apparenter existentis, rationaliter dandam esse eleemosynam, quod est omnino verum.

669. Ob. 3. contra 3. conclusionem. S. Thomas 2. 2. q. 4. a. 8. *in corp.* ait, scientiam esse certiorem quoad nos, seu ex parte subjecti, quā sit fides: ergo fides tantum est certior ratione piaæ affectionis. Confirm. Idem Angelicus q. 14. *de veritate a. 1. in corp.* ait: *Intellectus credentis est captivatus; quia tenetur terminis alienis, & non propriis . . . inde etiam est, quod in credente possit insurgere motus de contrario hujus, quod firmissime tenet, quamvis non intelligenter, vel scienter: ergo, cum scientia excludat motum de contrario, seu motum dubitationis, est certior.* Resp. neg. conf. S. Doctor expresse ibi dicit, fidem simpliciter esse certiorem, ratione causa, seu motivi, scilicet revelationis: per certitudinem autem quoad nos, vel ex parte subjecti, intelligit tantum proportionem objecti cum subjecto; nam ait, id etiam dici certius, *quod plenius consequitur intellectus*, hoc est, quod magis est aptum captui intellectus: quia in acceptione certitudinis hīc non loquimur; utique enim admittimus, mysteria fidei magis esse supra captum nostrum, quā objecta scientiæ naturalis.

Ad confir. neg. conf. Ex eo, quod antecedenter, & consequenter ad actum fidei, possibles sint motus dubitationis, vel etiam impossibilis cum ipso actu aliqui motus phantasie, aut potentiae apprehensivæ, quasi dubitationis, circa objecta fidei, sequitur tantum, actum fidei esse magis obscurum: adeoque ad hunc non rapi intellectum evidentiæ terminorum, que est terminus proprius intellectus: sed moveri imperio vo-

luntatis, quod imperium est terminus alienus, seu proveniens ab alia potentia, quæ intellectum in captivitatē redigit. Quod autem intellectus possit firmius adhære obscurus, quām claris, id habet supernaturaliter ex viribus gratiae, & ex altiori, ac digniori motivo; unde S. Thomas *in 3. diff. 23. q. 2. art. 2. quæstioncula 3. in corp.* ait de objecto fidei: *Est veritas prima, sive DEUS, cui creditur, que habet majorem firmitatem, quām lumen intellectus humani, in quo conspiciuntur principia, vel ratio humana, secundum quam conclusiones in principia resolvuntur: & ideo fides habet majorem certitudinem, quantum ad formalitatem adhesionis, quām sit certitudo scientie, vel intellectus, quamvis in scientia, & intellectu, sit major evidencia eorum, quibus assentitur.*

670. Ob 4. Actus evidens non potest esse, nec per absolutam Dei potentiam falsus: ergo non est minus certus, quām actus fidei. Confirm. Intellectus non potest firmius adhære e. g. mysterio SS. Trinitatis, quām huic veritati: *Totum est maius sua parte: imo huic firmius adhæret: ergo.* Resp. neg. conf. quia saltem certitudo formalis, & subjectiva est major; hæc enim non stat tantum in veritate, sed in ipso motivo, magis cum veritate connexo, itēque in adhæsione intellectus, ut explicatum n. 661. & seq. Ad confir. neg. ant. et si enim, ceteris paribus, magis adhæremus clarius propositis: atamen hīc cetera non sunt paria; quia dignitas testimonii Divini longissimè excedit omnia motiva naturalia: & sic etiam respondet S. Thomas 2. 2. q. 4. art. 8. ad 2. & certè firmius adhæremus mysterio SS. Trinitatis, quām principio: *Quæcumque sunt academi uni tertio, sunt eadem inter se: quod non minus est evidens, quām illud: Totum est maius sua parte.* Imo firmius etiam adhæremus illi mysterio, quām huic ipsi principio: *Totum est maius sua parte: credimus enim, totam SS. Trinitatem non esse aliquid maius qualibet persona. Si dicas, Personas non esse partes SS. Trinitatis.* Resp. hoc ipsum ex fide tantum, non autem ex ratione naturali haberi: verbo, si verè fideles sumus, etiam parati semper sumus, relinquere quamcumque nobis visam evidentiam naturaliem, si DEUS aliud revelet.

671. Dices. Illi objecto firmius adhæret intellectus, cui etiam adhæret post actum jam elicitum, ratione specierum ab ipso reliatarum, seu ratione effectus, quām, cui tantum adhæret durante actu: atqui priori ratione adhæret intellectus objecto, per evidentiæ naturalem cognito: posteriori vero ratione adhæret objecto, per actum fidei cognito: ergo. Resp. neg. ma. sed intellectus firmius adhæret illi objecto, circa quod elicit taler actu, quo præ omnibus aliis adhæret, ita, ut, si possibile esset, quod unum objectum opponeretur alteri, citius hoc desereret, quām illud: atqui intellectus citius defereret objectum cujusvis scientiæ, quām fidei, ut dictum n. 663. Quod autem intel-

intellexus objecto evidenti adhæreat adhuc etiam postea, ratione effectus, non habetur à certitudine appretiativa, seu adhæsiva, sed ab evidentiā, seu claritate, ut dictum n.

505.

672. Ob 5. Scientia Beatorum, seu visio beatifica, est certior fide: atqui non est certior ratione motivi; utraque enim habet pro motivo veracitatem Divinam: ergo ratione modi tendendi in DEUM: ergo, cū etiam scientia habeat meliorem modum tendendi, scilicet clariorem, quām actus fidei, ista etiam erit certior. Resp. 1. neg. min. nam, ut diximus n. 465, visio beatifica attingit DEUM absque adminiculo revelationis creatæ; unde habet motivum prius; quia purè Divinum. Resp. 2. neg. ultimam. cons. Beatus enim videt veracitatem Divinam per visionem beatificam, dum viator eam tantum per fidem audit: cæteris autem paribus, securior est aliquo modo visio, quām auditio; unde visio beatifica, cū habeat totum id, quod habet fides, & adhuc aliquid amplius, meritò dicitur certior fide. At in scientia humana, & fide Divina, cætera non sunt paria: sed motiva scientiæ sunt nimium quantum inferiora: qui defectus non potest compensari per claritatem; nec enim excessus infinitus veracitatis Divinæ, super omnem creatam veritatem, adæquari potest per claritatem tantum creatam.

673. Ob. 6. Potest idem actus esse simul actus fidei, & scientiæ, hoc est, nisi motivo fidei, seu revelatione, & motivo scientiæ, seu ratione naturali evidente: talis actus fidei non eset certior scientiæ; quia non eset certior seipso: ergo nullus actus fidei est certior scientiæ; quia actus fidei omnes sunt ejusdem speciei. Resp 1. neg. ma. vel potius ejus suppositum, quod talis actus eset actus fidei; nam, licet omittatur esse possibilis actus, nixus tali duplice motivo, tamen is non foret actus fidei, sed actus conclusionis Theologicæ, vel alterius speciei: de quo nolim disputare.

Evidem diximus jam supra n. 470. scientiam, & fidem, tanquam duos actus, stare simul posse in eodem intellectu: at ex hoc non sequitur, quod etiam idem actus, qui indivisibiliter niteretur motivo utroque, scilicet revelatione Divina, & evidentiā naturali, eset actus fidei; hoc enim negari potest ex hoc ipso, quod, ut objectio supponit, non possit unus actus fidei esse specie diversus ab altero: hic tamen actus, per intrinsecum essentiale respectum ad motivum evidens, differet ab aliis actibus fidei. 2. quia non potest actus esse magis indefectibilis, quām sit ejus motivum intrinsecum; consequenter deficiente motivo scientiæ deficeret omnis actus, qui eo essentiale niteritur, adeoque etiam talis actus, nixus utroque motivo. Quare talis actus non videtur posse esse actus fidei strictè dictus; quia hic debet esse omnino firmissimus, & consequenter longè magis firmus & minus

defectibilis, quām quolibet motivum tantum creatum.

674. Dices. Omnis actus fidei nititur revelatione externa creata, adeoque motivo aliquo defectibili: ergo. Resp. Actus fidei non nititur illa revelatione, tantum nudè sumpta, seu ut accepta tantum pro externa creata locutione: sed nititur illa ut informata auctoritate Divina; neque etiam illa locutio, nudè in se spectata, habet rationem auctoritatis, quæ primariò, & potissimum movet: sed tantum habet rationem dicti, quod non movet, nisi ut informatum auctoritate. At verò motivum scientiæ respectu actus, in objectione adducti, deberet habere rationem motivi, non moventis, quia est informatum ab alio, sed moventis ex propria sua virtute, & estimabilitate. Dein locutio ista externa, supposito, quod sit informata auctoritate Divina, tam parùm potest deficere à veritate, quām parùm ipsa auctoritas; unde est disparitas maxima.

Resp. 2. ad objectionem n. 673. factam om. ma. neg. mi. quidquid sit, si talis actus sit actus fidei, sive non, parùm refert: si etiam omittatur, talem actum esse actum fidei, tamen actus fidei semper erit certior solè scientiæ; nam hic ipse actus erit certior quovis alio actu, qui tantum niteretur motivo scientifico: seu tantum esset actus scientiæ. Hinc talis actus foret certior seipso, non quidem se ipso realiter accepto, sed tamen seipso formaliter accepto: sicut Logici, agendo de universalis in actuali prædicacione, dicere solent, actum esse clariorem se ipso formaliter accepto. Realiter autem certior esset talis actus, nixus motivo fidei simul, & scientiæ, quovis alio actu, qui solùm niteretur motivo scientifico.

675. Nota sub finem ex Gormaz de virt. Theol. n. 845. certitudinem fidei posse quasi accidentaliter, seu intensivè, esse majorem in uno, quām in altero actu fidei; quia e.g. is, qui majori gratia pollet, si operetur, quantum potest, elicit actum intensorem, ac proinde accidentaliter firmiorem, & certiorem, quām elicit alius minori gratia pollens. Pariter, si quis instructus sit habitu pie affectionis magis intenso, & etiam operetur, devotione, confidentiæ, & promptitudine, quanta potest, elicit actum fidei accidentaliter perfectiorem. Et de hæ accidentali firmitate, vel certitudine loquitur S. Thomas. 2. 2. q. 5. art. 4. in corp. dicens: *Potest ergo fides in aliquo dici major, uno modo ex parte intellectus, propter certitudinem, & firmitatem: alio modo ex parte voluntatis, propter maiorem promptitudinem, seu devotionem, vel confidentiam: & in eundem sensum loquitur inferioris ad 3.*



Q.I.E.

QUÆSTIO II.

De Supernaturalitate Actus Fidei.

ARTICULUS I.

*An Habitus, & Actus fidei: itemque
prævia Pia Affection, & alia, ad actum
fidei requisita, sint necessaria super-
naturalia.*

676. **C**ommunissimè definitur *super-*
naturale esse id, quod super-
rat vires, & exigentiam to-
tius naturæ creatæ, sive, quod nulli creatæ
substantie ut quod, determinatæ, vel inde-
terminate debetur. Dicitur 1. *quod superat*
vires totius naturæ creatæ: hoc est, vires,
tam activæ, quam passivæ; nam, licet nul-
lae vires activæ creatæ exigant producere a-
nimam rationalem, tamen ista non est sup-
ernaturalis; quia materia prima habet vi-
res passivæ, quæ saltem indeterminate exi-
gunt recipere animam rationalem. Dicitur
2. *substantia ut quod;* nam unioni hyposta-
tice, quæ est substantia ut quo, multa de-
bentur accidentia supernaturalia. Pariter
accidentibus supernaturalibus debentur alia
accidentia supernaturalia, ut visio beatifica
debetur lumini gloriae.

Substantia autem creata supernaturalis
ut quod possibilis non est, ut communiter
docent cum Suarez in 1. p. D. Thomæ l. 2. de
attributis DEI, c. 9. à n. 14. eoquod non
posset explicari, in quo staret ejus superna-
turalitas; cum enim substantia per se inten-
datur, non posset supernaturalitas substanc-
tiae ut quod explicari per hoc, quod non
esset debita alteri, sicut tamen explicatur su-
pernaturalitas accidentium. Dein non pos-
set dici, illam substantiam esse supernatura-
lem, quæ sit in eodem ordine cum DEO; nam in pari ordine cum DEO nulla creatura
esse potest. Si autem dicatur, eam tantum
debere aliquo modo participativè esse in eo-
dem ordine cum DEO, seu superior aliis:
contra est. Angeli, vel animæ rationales,
etsi respectu aliarum substantiarum sint in
ordine superiori, non sunt supernaturales;
& sunt possibles creature spirituales nobiliores
istis, nec tamen erunt supernaturales;
quia saltem dici possunt indeterminate debi-
ta universo: ergo debet esse alia adhuc ma-
jor superioritas, quæ explicari non potest.

Si dicatur substantia supernaturalis illa,
cui debentur accidentia, quæ aliis substantiis
non debentur, iterum contra est: Angelis,
& animabus rationalibus debentur multa
accidentia, quæ aliis substantiis non deben-
tur: ergo iterum nihil explicatur. Accedit,
quod, si admittatur substantia ut quod super-
naturalis in hoc sensu, difficillimè sine cir-
culo possit explicari supernaturalitas acciden-
tium. Si dicatur substantia ut quod su-
pernaturalis esse illa, cui debetur visio bea-
tifica: Resp. juxta SS. Patres talem substan-

tiam creatam esse impossibilem, ut probatum
tract. de DEO à n. 179.

677. Jam verò *supernaturale dividitur*
in supernaturale Theologicum, & superna-
turale Philosophicum. Illud, seu *Supernatu-*
rale Theologicum est, quod ex intrinsecis
suis prædicatis ordinatur ad beatitudinem,
seu visionem DEI, ut gratia sanctificans,
unio hypostatica &c. *Supernaturale Philo-*
philicum est, quod non ordinatur ex intrin-
secis suis prædicatis ad beatitudinem, ut re-
plicatio resuscitatio mortui &c. Dividitur
2. in *supernaturale quoad substantiam, &*
supernaturale quoad modum. Per substanti-
am intelligitur hæc essentia; hinc in hoc sensu
erit accidentia possunt esse supernaturalia
quoad substantiam. Est autem *supernatu-*
rale quoad substantiam illud, quod in
nullis circumstantiis debetur naturæ creatæ;
& sic se habet gratia sanctificans, & resusci-
tatio mortui &c. *Supernaturale quoad mo-*
dum est illud, quod quidem in his circum-
stantiis non debetur naturæ creatæ, et si de-
beri possit in aliis: tale est, si rosa produca-
tur durante frigore hyemali, vel morbus,
lentis quidem remedium absolútè curabilis,
curetur in momento.

Dividitur 3. in *supernaturale inse-*
am & supernaturale præsuppositivè. Primum est,
cui propriè competit definitio data: alterum
autem tantum est analogiè supernaturalis,
& est illud, quod quidem in se est naturale,
præsupponit tamen aliquid supernaturalis:
sic e. g. comætio, vel ambulatio hominis, à
morte resuscitati, est in se prorsus natura-
lis, ut patet: attamen, quia præsupponit
miraculosam à mortuis resuscitationem, est
supernaturalis præsuppositivè. Similiter, si
triticum, supernaturaliter productum, dein
seminetur, & ex eo crescat aliud novum,
hoc secundum erit supernaturale præsuppo-
sitivè.

678. Dico 1. *Habitus fidei Divina in-*
fusus est supernaturalis quoad substantiam,
ita certa omnium Theologorum. Prob. 1.
hoc ipso consensu communi Theologorum,
qui in materia, quæ dependet à libera vol-
luntate DEI, & cuius notitia debet potissimum
haberi ab auctoritate, vel traditione,
magnum pondus habet. Prob. 2. efficaciter
ex Tridentino sess. 6. c. 7. & quidem sim-
ul etiam de habitu spei, & charitatis
(quod hæc noto; quia agendo de illis sup-
ponemus, eos habitus esse supernaturales)
ita ibi habet Concilium: *Hanc dispositio-*
nem, seu præparationem, justificatio ipsa
consequitur, quæ non est sola peccatorum re-
missio, sed & sanctificatio, & renovatio
interioris hominis per voluntariam suscep-
tionem gratia, & donorum: ergo suscep-
to gratia, & donorum distinguuntur à præpara-
tione, quam sequitur: cum ergo inter di-
spositiones capite præcedenti etiam positus
fuerit actus fidei, & spei, per dona, quæ sus-
cipiuntur, non intelliguntur actus, sed in-
telligitur habitus fidei, spei, & charitatis:
adeoque isti in justificatione supernaturali
infunduntur, & consequenter sunt supra-
naturales.

Prob. cons. Aliqua fides nomine dominorum venit: non actualis, ut modò probatum: ergo habitualis. prob. ma. Concilium eodem capite inferius explicans illud dona ait: *Unde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum hac omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem:* ergo justificatis infundit aliqua fides: ergo habitualis. Ex quo etiam consequitur, spem, & charitatem habitualem, infundi; quia Concilium non aliter loquitur de his, ac de fide: loquendo autem de hac, loquitur de habituali: ergo etiam loquendo de illis. Sed & alia dicta Scripturæ, Patrum, & Conciliorum, ut expendenti facile constabit, probant eodem modo, de his habitibus, vel eorum actibus, sicut de habitu, & actu fidei: imò plura expressè loquuntur de omnibus.

679. Confir. ex Concilio Moguntino c. 7. ubi explicans dictum caput Tridentini ait: *Per Spiritum S. unam cum fide simul charitatem in corde diffusam, ac spem accipit, hisq. DEI donis in ipso permanentibus, non jam solum reputatur, aut nominatur, sed vere existit iustus:* sed fides, spes, & charitas permanens, est habitualis: ergo. Non autem dicas, quod fides ista sit naturalis in se, & tantum per accidentem infusa; nam præter jam dicta, sub initium hujus tractatus n. 25. huic replicæ etiam opponitur Tridentinum, quod eod. capite 7. de eadem fide habituali infra subdit: *Hanc fidem ante baptismi sacramentum, ex Apostolorum traditione, catechumeni ab Ecclesia petunt, cum petunt fidem, vitam eternam praestantem:* atqui id, quod præstat (licet non se solo, seu sine spe, & charitate, ut ibidem dicitur) vitam eternam, seu conductus ad beatitudinem supernam, est Theologicæ supernaturale, & quidem non tantum quoad modum, sed etiam, ut omnes fatentur, quoad substantiam; alias non tam ipsum, quam ejus modus præstaret vitam eternam: ergo. Addi posset alia ratio, scilicet, habitum debere esse supernaturale; quia id exigit gratia, ut diximus n. 30. & bona estratio: sed quia habet objectiones, quas refellere longum foret, sufficiunt mihi priores. videri potest Lugo de fide disp. 9. sec. 3. n. 48. & 49.

680. Dico 2. Ipse etiam actus fidei est supernaturalis, tam quoad modum, quam quoad substantiam. ita communis. Prob. 1. p. conclusionis. Quod actus fidei saltem sit supernaturalis quoad modum, est de fide ex pluribus Scripturæ locis, adductus à SS. Patribus contra Pelagium. Sic ad Ephes. 2. v. 8. dicitur: *Gratia est salvati per fidem, & hoc non ex vobis; DEI enim donum est.* & ad Philippen. 1. v. 29. *Vobis donatum est pro Christo, non solum, ut in eum credatis &c.* Idem docent Concilia Arauficanum. II. can. 7. ait: *Siquis per naturam vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitam eternam, cogitare, aut eligere, sive salutari, id est, evangelizanti prædicationi, consentire posse confirmat, absque illuminatione, & inspiratione Spiritus S. heretico fallitur spiritu.*

R. P. Ant. Mayr. Thol. Tom. I.

Nota post cogitare irrepsisse duo haec verba: *non expedit, quæ & sensum turbant, & omnino superflua sunt, ut Binius in hoc Concilio notat: & hinc meritò ab aliis, & nobis omissa sunt. Tridentinum sess. 6. can. 3. ait: Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus S. inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut poni posse, sicut oportet, ut ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.* Accedit, quod damnata sit haec propositio 23. Bajana: *Absurda est eorum sententia, qui dicunt, hominem ab initio dono quodam supernaturali, & gratuito, supra conditionem naturæ sua, fuisse exaltatum, ut fide, spe, & charitate, DEUM supernaturaliter coleret.*

681. Probatur jam 2. p. seu quod actus fidei etiam sit supernaturalis quoad substantiam, seu quoad intrinseca prædicata: & quidem prob. 1. ex communi Theologorum (ut testatur Lugo, qui de hac materia videri potest disp. 9. de fide per totam) cum S. Thomas 1. 2. q. 62. a. 3. ad 2. & aliis pluribus locis, citatis à Suarez l. 2. de gratia c. 5. n. 4. Prob. 2. Ex Scripturis, Conciliis, & Patribus habetur, quod ad actum fidei elicendum homo indiget necessariò peculiari auxilio Divinae gratiae: ergo est intrinsecè supernaturalis. cons. patet: nam, quod intrinsecè naturale est, non potest esse supervires naturales, nec exigit vires gratiae supernaturalis. ant. prob. sic Matth. 11. v. 27. dicitur: *Neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* & 2. Corinth. 3. v. 5. Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quæ ex nobis. & 1. Corinth. 12. v. 3. Nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu S. item Joannis 6. Hoc est opus DEI, ut credatis in eum, quem misit ille. Idem probant textus, & Concilia allata n. 680. Similia habet Milevitanum c. 4. dicens: *Cum sit utrumque donum DEI, & scire, quid facere debeamus, & diligere, ut faciamus.*

682. Confir. 1. Ad actum fidei (& eadem ratio est de actu spei, & charitatis) requiritur habitus per se infusus, & supernaturalis (qualem dari probavimus n. 678.) vel omnipotentia, loco ipsius extrinsecè applicata, & concursum habitus supernaturalis supernaturaliter supplens: ergo actus fidei superat vires naturæ creatæ, adeoque est supernaturalis. Confir. 2. Actus fidei est positiva dispositio, conducens ad vitam eternam, & quidem de congruo saltem meritoria (nec minus talis dispositio, & meritum, est actus spei: actus charitatis vero omnino affert secum jus ad vitam eternam) ergo est intrinsecè, & quidem Theologicæ supernaturalis. cons. patet, & conceditur etiam ab adversariis. ant. prob. in primis Tridentinum sess. 6. c. 6. expressè docet, homines per fidem actualē disponi ad justificationem. & Apostolus ait ad Hebr. 10. v. 38. *Justus autem meus ex fide vivit.* & c. 11. v. 6. *Sine fide autem impossibile est placere DEO:* ergo.

683. Respondebis 1. habitum fidei requiri,

quiri, non ad actum fidei simpliciter eliciendum, sed ad moraliter eliciendum; cum sine habitu difficultimē eliceretur. Sed contra est. Concilia, & Patres, planè dicunt, sine gratia simpliciter non posse elici actum fidei, & non tantum, non posse facile, aut non nisi difficulter elici. 2. Si simpliciter posset elici naturaliter actus fidei, tunc difficultas circa illum eliciendum posset tolli per habitum acquisitionem naturalarem, adeoque posset in multis casibus, elici viribus pure naturalibus actus fidei, etiam facile: quod nemo dixerit. 3. Habitum infusi non dant facile posse, sed simpliciter posse, ut communissime omnes docent. Alii respondent, habitum requiri ad infallibilitatem assensū: sed hac planè aliud non est, quam exigentia actus, ut objectum ita se haheat, prout ipse affirnat: ergo infallibilitas realiter est ipse actus.

Respondebis 2. auxilium gratiae supernæ, vel etiam habitum, non requiri ad substantiam actus, sed ad modum quandam illi superadditum. At contra. Non potest explicari, quid sit ille modus; nam 1. non est intensio; ad quemvis enim actum fidei, etiam non intensum, requiritur habitus, aut gratia; nam Concilium Tridentinum, & alia omnia, loquuntur de omni actu, sive intenso, sive remisso, modo sit, prout oportet, ad salutem. 2. Quivis actus disponit ad justificationem, & quilibet reddit fidem, sicut quilibet contritio perfecta reddit contritum, & justificatum: ergo ad quemlibet est necessarium auxilium gratiae. 3. Modus ille non est modus proportionis cum fine supernaturali; si enim actus ex sua essentia non habet proportionem, non poterit illam recipere ab eo modo; proportio enim illa est per modum meriti, scilicet congrui: atque modus non potest reddere actum meritorium; cum neque sit formaliter meritorius, nec opus dignificet, ut dignitas personae: sed nec ullus alias modus convenienter assignari potest: ergo.

684. Dico 3. Species, concurrentes ad actum fidei, probabiliter non debent esse per se supernaturales. ita Suarez, Lugo, Oviedo, Platelius, Haunoldus, Ripalda, Arriaga. Prob. Species naturales possunt, sive per habitum supernaturalem, sive per concursum DEI supernaturalem, elevari ad hoc, ut possint concurrere ad actum supernaturalem: ergo non est necesse, ut sint supernaturales. cons. non videtur posse negari; quæ enim necessitas specierum supernaturarum, si naturales sufficienter influere possint? Ait quidem Granado, quod post species naturales, deservientes ad cognitiones naturales, infundantur à DEO species supernaturales: at hoc gratis dicitur, si species naturales sufficient: præterquam, quod illæ species habeant alias difficultates, quas vide apud Lugo *de fide disp. 9. sec. 4. n. 59. & seq.*

Jam prob. ant. Intellectus, & voluntas, licet sint potentiae naturales, possunt elevari ad concurrendum ad actus supernaturales, ut pater; alias actus fidei, spei,

& charitatis, non essent vitales: nechomo illos produceret, sed tantum recipere, que haberet merè passivæ, contra Tridentinum *sess. 6. can. 4.* ergo etiam possunt elevari species naturales. Et certe non video, quare species illæ, quas aliquis acquirit naturaliter, ex auditione catechista, non possint ratione elevationis extrinsecæ, influe re in actum fidei. Dixi tamen in conclusione, species non debere esse per se supernaturales; non enim nego, posse esse tales: dein etiam potest contingere, ut, cum obiectum ipsum sit prorsus supernaturale, etiam species sint supernaturales, e. g. si DEUS aliquem Sanctum de supernaturali aliquo mysterio interius illustret.

685. Dico 4. Licet judicium remotum, & speculativum, de evidentiā credibilitatis, possit esse naturale, ut diximus *n. 498.* tamen judicium proximum, & practicum, im mediately dirigens ad eliciendam piam affectionem, debet esse supernaturale quoad substantiam. ita Suarez *de fide disp. 6. sec. 8. n. 12. & seq.* Valentia, Ripalda, Platelius. Prob. 1. Judicium hoc proximum immediately dirigit ad piam affectionem, seu actum supernaturalem voluntatis: ergo debet esse supernaturale; quia, ut Ripalda *de ente supernat. tom. 1. disp. 49. sec. 4. n. 24. cx* Patribus, & Theologis probat, ad omnem actum voluntatis supernaturalem prærequisitur illustratio, seu actus intellectus supernaturalis. Prob. 2. Concilium Milevitærum *cán. 4.* docet, per gratiam revelari nobis intelligentiam mandatorum, datur simul, scire, & diligere: ergo notitia, saltem ultima, & practica, de mandato eliciendi, seu imperandi actum fidei, est gratia, seu actus supernaturalis.

Similiter Tridentinum *sess. 6. c. 6.* expressè air: *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati Divinâ gratiâ, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in DEUM, credentes &c.* ergo ante liberam voluntatem credendi requiruntur, & auditus fidei, seu exterior proposicio, & interna excitatio gratiae, quam de in Concilium declarat, stare in illuminacione DEI, à qua *c. 5.* dixerat, *ipsius justificationis exordium . . . sumendum esse;* quod exordium non potest esse à nobis, sed debet esse à gratia, ut est clara doctrina contra Semipelagianos. Pariter Arausianum II. *can. 5.* definit, *ipsum credibilitatis effectum esse per gratia donum, id est, per inspirationem Spiritus Sancti. & can. 7.* docet, non posse hominem *salutari . . . predicationi consentire . . . absque illuminatione, & inspiratione Spiritus Sancti.* vide Suarez *de fide disp. 6. sec. 8. n. 13.* Addo, quod judicium speculativum etiam debeat esse supernaturale, casu, quo judicium practicum illo niteretur, tanquam consequens suo antecedente; nam consequens supernaturale exigit utique etiam antecedens tale; alias firius niteretur minus firmo.

686. Dico 5. Apprehensiones præviae ad judicium etiam practicum, & supernaturale

rale credibilitatis, probabiliter non debent per se esse supernaturales. ita Lugo de fide disp. 9. sec. 5. Platelius, Salas, contra alios etiam magnos autores. Prob. conclusio potissimum negativè; quia non est ratio, vel necessitas, ob quam ex apprehensiones debeat esse supernaturales; si enim esset aliqua necessitas, tunc ideo; quia debentur concurrere ad judicium supernaturale: haec nulla est: ergo. prob. mi. potest aliquid naturale elevari ad influendum in aliquid supernaturale, ex n. 684. ergo etiam apprehensiones naturales possunt influere in judicium supernaturale.

Confir. Cum saepe ultima apprehensio sit complexa, vel ob aliam rationem presupponat alias apprehensiones priores, quae præviè disponant ad istam ultimam, tunc, si ista juxta adversarios deberet esse supernaturalis, deberent etiam plurima prævia esse supernaturales, quod gratis dicitur. Nec dicas, illas esse tantum causas, vel dispositiones remotas; et si enim sunt causæ, vel dispositiones remotæ ad actum fidei, non sunt dispositiones, vel causæ remotæ, sed proximæ ad apprehensionem præviam, juxta adversarios supernaturalem: adeoque deberent etiam esse supernaturales; siquidem, ut ipsi volunt, apprehensio naturalis non possit concurrere ad actum supernaturale.

687. Nota hic 1. Conclusio nostra procedit in casu, quo apprehensio non sufficienter illustreret ad piam affectionem, ut diximus esse communiorum n. 487. si enim quis oppositum supponeret, tunc apprehensio illa, proximè dirigens ad piam affectionem, deberet esse supernaturalis, ex omnibus illis rationibus, quibus à n. 685. probatum est, judicium ultimum practicum debere esse supernaturale. Nota 2. Conclusio procedit de apprehensionibus, præcedentibus immediate judicium credibilitatis, non vero de præcedentibus ipsum actum fidei, de quibus major esset difficultas.

Lugo cit. disp. 9. de fide sec. 5. n. 84. ait, etiam apprehensiones, immediate præcedentes actum fidei, non debere necessariò esse supernaturales. Ego disjunctivè dico: si non est specialis efficax ratio, pro apprehensionibus his secundis, & earum supernaturalitate, etiam istæ non erunt necessariò supernaturales: si sit talis ratio, concedo, eas fore supernaturales: & fors aliqua ratio esse posset ista. Apprehensiones præviae ad fidem debent representare testimonium DEI, propter se ipsum dignum altissimo assensu: atqui taliter non possunt testimonium DEI representare apprehensiones tantum naturales: ergo. ma. videtur clara; quia actus fidei debet ita tendere, seu ita amplecti testimonium DEI. mi. etiam videtur difficulter posse negari; quia testimonium ut dignum altissimo, & supernaturale assensu fidei, non videtur posse representari per apprehensiones tantum naturales.

Nec dicas, testimonium DEI, ut dignum altissimo assensu, posse representari à judicio credibilitatis; nam non videtur posse testi-

monium DEI ita representari à judicio prævio credibilitatis; alias hoc judicium esset assensus propter testimonium DEI, & consequenter jam esset actus fidei. Sed fors huic difficultati responderi posset, dicendo, posse quidem à judicio credibilitatis ita representari testimonium DEI, sed tantum ut objectum materiale: qua ratione illud judicium non erit actus fidei; quia non affirmat, adesse testimonium DEI; quia DEUS dicit, illud adesse: sed quia dantur alia motiva credibilitatis, quæ motiva non sufficiunt ad actum fidei. Sed quidquid de hoc sit, nolim de eo fusius disputare; unde inhæreo modo datae responsioni disjunctivæ.

688. Dico 6. Pia affectio est supernaturalis quoad substantiam, ita communissima. Hanc conclusionem supposui n. 526. nunc probo 1. ex Apostolo ad Philipp. 2. v. 13. dicente: *DEUS est enim, qui operatur in vobis, & velle, & perficere, pro bona voluntate.* 2. ex Araucano II. quod can. 5. ita definit: *Siquis, sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsum credibilitatis affectum non per gratiae donum, id est, per inspirationem Spiritus S. corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus adversarius approbatur.* Confir. 1. Ad istam piam voluntatem, seu piam affectionem voluntatis, requiritur gratia præveniens, & adjuvans, ut docet Tridentinum Ieff. 6. c. 6. ubi dicit, quod ex citati Divinâ gratiâ, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in DEUM, credentes: hoc est, liberum motum piaæ affectionis elicunt: ergo pia affectio est supernaturalis; quia superat vires nostras naturales, & exigit adjutorium gratiæ Divinæ. Confir. 2. ratione. Fides est meritoria, saltem de congruo: omne autem meritum fundatur in volitione libera supernaturali: ergo etiam pia affectio, in qua fundatur meritum fidei, est volitio libera supernaturalis. Plura vide apud Lugo de fide disp. 10. sec. 3.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

689. O B. 1. contra 2. conclusionem. S. Augustinus in exposit. quarundam proposit. epist. ad Roman. proposit. 61. ait: *Nostrum enim est credere, & velle: illius autem DEI dare credentibus, & voluntibus, facultatem bene operandi:* ergo actus volendi credere, itemque ipse actus fidei est noster, seu naturalis nobis. Confir. 1. ex S. Thoma 2. 2. q. 171. a. 2. ad 3. dicente. *Alio modo est aliiquid supra naturam, quantum ad modum actus, non autem quantum ad substantiam ipsius, sicut diligere DEUM, & cognoscere eum in speculo creaturarum:* ergo actus fidei est quidem quoad modum, non autem quoad substantiam supernaturalis. Confir. 2. S. Doctor ibidem ait, non dari donum
B b 2 gra.

gratiae habituale ad ea, quae sunt supernaturalia quoad substantiam: ergo, vel pia affectio, & etiam actus fidei, non sunt supernaturales, vel non dantur pro iis eliciendis habitus supernaturales. Resp. neg. conf. S. Augustinus *l. 1. retract. c. 23.* dictum illud retractat, & fidem numerat inter DEI dona, ac addit: *Utrumque ergo (hoc est, credere, & operari salutariter) nostrum est, propter arbitrium voluntatis, & utrumque tamen datum est per Spiritum fidei, & charitatis.... utrumque ipsis DEI est; quia ipse preparat voluntatem, & utrumque nostrum; quia non fit, nisi volentibus nobis.*

Ad 1. confir. neg. suppositum. cons. Angelicus ibi terminum *supernaturale* accipit in alia significacione: scilicet, per supernaturalē quoad substantiam intelligit actiones miraculosa, & extraordinaria, quas viri Sancti s̄epius, non tamen habitualiter potuerunt operari, & quibus nec genericē similes possunt naturaliter produci: quales e.g. sunt resuscitationes mortuorum, prophetiae &c. alias autem actiones vocavit supernaturales, tantum quoad modum; quia saltem genericē aliquo modo similes possumus producere viribus naturae, e.g. aliquem saltem amorem DEI. Ad 2. confir. neg. cons. quia S. Doctor tantum negat, Sanctis fuisse concessum habituale donum supernaturalium quoad substantiam, prout hunc terminum ibi sumit, scilicet pro miraculis, & prodigiis extraordinariis &c.

690. Ob. 2. Tridentinum, & Arausidianum, non negant, posse naturaliter elicere fidem: sed tantum negant, posse elicere fidem, *sicut oportet*: ergo potest quidem naturaliter elicere actus fidei quoad substantiam, sed non quoad modum. Confir. 1. Si actus fidei, & charitatis, non possent esse naturales, posset quis scire, se esse in statu gratiae; quia potest quis scire, se eliciisse actum charitatis: hoc est fallum: ergo. Confir. 2. Rationale, & irrationale, est idem animal quoad substantiam: ergo etiam fides naturalis, & supernaturalis. Resp. neg. cons. Illud *sicut oportet* significat talem fidem, quae disponat ad gratiam, vel justificationem: hæc autem fides quoad substantiam intrinsecè differt ab alia, quam elicit hereticus, dum elicit actum fidei naturalis de eodem objecto materiali. An autem possit actus fidei naturalis elicere propter idem prorsus objectum formale, disputant Theologi, nec Concilium voluit hanc litteram decidere; unde ad praescindenda dubia dixit: *sicut oportet*. Ad 1. confir. neg. ma. nemo enim scit, an actum supernaturalis, *sicut oportet*, an tantum actum naturale elicuerit; & hoc nemo scit; vel quia nemo scit, se egisse ex vero amore DEI super omnia, vel saltem, quia nemo scit, se egisse cum omnibus requisitis ad actum supernum; neque enim dicimus, non posse elicere illum amorem DEI naturalem: imò oppositum defendimus tract. de gratia n. 95. Et idem dicendum de actu fidei, si possibili-

lis sit revelatio DEI naturalis, de quo vide dicta n. 142. Ad 2. confir. neg. ant. licet enim rationale, & irrationale, genericē convenient, tamen utique substantialiter, seu essentialiter differunt.

691. Ob. 3. contra 3. conclusionem. Species, & habitus, debent esse ejusdem ordinis; nam ex utroque constitutur principium complectum actus: sed habitus fidei est supernaturalis: ergo etiam species debent esse supernaturales. Confir. 1. Habitus scientiae infusionis in Christo exigebat quoque species supernaturales: ergo etiam habitus fidei eas exigit. Confir. 2. Ad conclusionem supernaturalem requiruntur etiam præmissæ supernaturales: ergo etiam ad judicium supernaturale requiruntur species supernaturales; cum sit par ratio. Resp. neg. ma. universaliter sumptam; nam, sicut objectum non debet esse semper ejusdem ordinis cum habitu, vel potentia (ut patet in anima rationali spirituali, & naturali, cognoscente materialia, & supernaturalia) ita nec species vicaria objecti.

Quod autem anima ad producendas cognitiones spirituales indiget prius speciebus spiritualibus, non est ratio, quod species debeant esse ejusdem ordinis cum anima: nec quod species phantastica ratione materialitatis non possint concurrere (alias species materiales phantasticae neque possent concurrere cum anima, ad producendam speciem spiritualem) sed est alia ratio, ex qua Philosophi probant existentiam specierum spiritualium: mihi optima visa est memoria actuum, & objectorum, remanens in anima post mortem, quæ stare non potest in speciebus phantasticis; quia haec post mortem non amplius dantur: ergo debet stare in speciebus spiritualibus: si autem debent species spirituales adesse post mortem, habebunt etiam, quod agunt in vita: scilicet producent species expressas spirituales, seu cognitiones.

692. Ad 1. confir. neg. cons. Si illæ species Christi Domini fuerunt supernaturales, vel DEUS pro suo libitu, ut potuit, voluit eas dare (nec enim dicimus, species non posse esse supernaturales, sed tantum non debere tales esse) vel DEUS species supernaturales dedit; quia dari non poterat species naturalis omnium creaturarum possibilium, aut etiam futurarum; eoquod species quidditativa naturalis videatur supponere existentiam objecti, cum tamen non possint unquam existere omnia futura (videatur Lugo de incarnat. disp. 20. sec. 5.) haec autem rationes non militant in nostro casu, seu pro speciebus ad actum fidei concurrentibus. Ad 2. confir. neg. cons. Conclusio supernaturalis, si est actus fidei, necessariò præsupponit duas revelationes supernaturales, seu duos actus fidei, tanquam præmissas formales, ut patet ex dictis n. 589. Sive autem sit, sive non sit actus fidei illa conclusio, præmissæ debent esse saltem aquæ certæ, ac est conclusio, ut omnes admittunt: at qui actus naturalis non potest esse tam certus,

tus, quām actus supernaturalis: ergo præmissæ necessariò debent esse supernaturales. Licet enim præmissæ formales, ut tales, non sint motivum conclusionis, tamen sunt applicatio motivi, & quidem talis, ut pro diversitate ejusmodi applicationis, seu præmissarum, intellectus firmius, aut minus firmiter, assentiatur conclusioni; nam certè, qui tantum obscurè penetrat præmissas, vel ipsis non omnino firmiter assentitur, is non tam firmiter assentitur conclusioni, quām alius, qui præmissas evidentissimè, ac claramè penetrat, iisque omnino firmiter assentitur.

Sed nec potest quis firmius assentiri conclusioni, quam præmissis; quia non potest motivum firmius applicari conclusioni, quām sit applicatum præmissis; unde hæc non potest esse firmior, aut certior. Si nes- ges contra communem, quod præmissæ de- beant esse àequè certæ, ac conclusio, ruet eo ipso tuum argumentum; nam probare non poteris, quod ex præmissis naturalibus non possit ratione specialis auxiliū inferri conclusio supernaturalis: & sanè Cardina- lis de Lugo. *de fide disp. 9. sec. 4. n. 75.* negat, quod saltem utraque præmissa debeat esse supernaturalis, etiam in ordine ad conclusionem supernaturalem.

693. Ob. 4. Objectum fidei est super- naturalis: ergo etiam species sunt supernatu- rales. Confir. Species conducunt ad actus supernaturales: ergo etiam debent esse supernaturales. Resp. 1. ergo nec de my- steriis fidei, quando ea audimus à prædicatore, habebimus species naturales, sed o- mnes supernaturales, quod est nimium: & ipse Granadus, alias adversarius *tr. 9. disp. 5. n. 6.* admittit, dari apprehensiones natu- rales circa objecta supernaturalia, nempe mysteria SS. Trinitatis, & Eucharistiae, de quibus agit obiectio, in forma om. ant. neg. cons. cùm enim species nec sint quidditativa, nec intuitiva, non debent esse supernaturales, etiamsi sint objectorum supernatura- lium. Certè lumine naturali potest cognosci, saltem probabiliter, aliquid supernatu- rale esse possibile, ut docet Suarez *de Ange- lis l. 2. c. 29. n. 23.* & alii: ergo per specie- es naturales. Sed neque species abstractiva debet esse in eodem ordine cum objecto; alias species abstractiva DEI deberet esse Divina, & increata: imò nec species im- pressa intuitiva creata DEI, quam possibili- lem cum multis dixi *tract. de DEO. n. 225.* debet esse tam perfecta, quam DEUS; ali- as manifestè repugnaret. Ad confir. Etiam intellectus conduit ab actum fidei, nec tamen propterea est supernaturalis; quia tantum concurrit ut elevatus: pariter & species concurrunt tantum ut elevatae; unde neg. cons.

694. Ob. 5. Ex objecto, & potentia, ori- atur notitia: hoc est: ad actum fidei requiri- tur, ex parte potentiae habitus, ex parte objecti species, tanquam vicaria objecti: ergo, sicut requiritur habitus supernaturalis, ita etiam requiritur species supernaturalis.

Confir. Firmitas actus fidei habetur ab ob- jecto motivo, seu à revelatione: sed ob- jectum eam non tribuit immediate per se. ergo tribuit per speciem: sed species natura- les non possunt, eam firmitatem tribuere: ergo species debent esse supernaturales. Resp. 1. Recentior quidam adstruit quidem species supernaturales, sed non distinctas ab habitu: at non videtur hoc convenien- ter dici; cùm habitus non concurrat ex parte objecti, nec etiam, sicut ipse vide- tur velle, lumen gloriæ sit species DEI, ut cum aliis negavi *in tract. de DEO n. 243.* Resp. 2. neg. cons. sufficit enim, si unum principium ut supernaturale, scilicet habitus (cu- jus supernaturalitas aliunde probatur) & re- liqua conprincipia elevet, ut fusiū expli- cat Lugo *de fide disp. 9. sec. 4. n. 70.*

Ad confir. dist. mi. objectum eam fir- mitatem non tribuit per se, hoc est, non ex propria virtute, neg. mi. non per se, hoc est, non finē applicatione per speciem. conc. mi. & sub eadem dist. conc. vel neg. cons. dist. dein subsumpt. species naturales non possunt eam firmitatem tribuere, tanquam virtus movendi. conc. subsumpt. tanquam applicatio virtutis. neg. subsumpt. & cons. Imò species, etiam supernaturales, utpote crea- tæ, non possunt tribuere vim firmissi- mam actui fidei, qui tantum potest niti- moto Divino: ergo species, qualescumque dentur, sunt tantum applicatio motivi: ad hanc autem sufficiunt species etiam na- turales, sed elevatae. Scilicet habet se ob- jectum movens, sicut finis movens; nam iste etiam movet ut objectum, non per se, in sen- fu modo explicato, seu non finē applicatio- ne per cognitionem: & cognition etiam non debet habere vim movendi, sed tantum vim applicandi finem: nec debet esse ejusdem speciei, seu ordinis cum fine.

695. Ob. 6. contra 5. conclusionem. Apprehensio præcedens debet esse proporcio- nata judicio: ergo ante judicium super- naturalis debet dari apprehensio supernaturalis. Confir. Apprehensio est dispositio ad judici- um: sed dispositio ad judicium supernum est supernaturalis: ergo. Resp. dist. ant. ap- prehensio præcedens debet esse propor- tionata, hoc est, debet esse representatio ejus- dem objecti, conc. ant. debet esse ejusdem ordinis cum judicio. neg. ant. & cons. vide dicta de specie n. 691. Ad confir. dist. ma. apprehensio est dispositio ad judicium, de- terminatè exigens judicium supernatu- rale. neg. ma. est dispositio, non determi- natè exigens judicium supernaturale, sed in- differens, ut elevetur, vel non elevetur, ut dein sequatur judicium naturale, vel su- pernaturalis. conc. ma. & dist. sic mi. neg. cons. Hæc responio etiam datur, si obijci- tur, quod species sint dispositiones. Quod autem dispositiones ad justificationem (de quibus Tridentinum *sess. 6. c. 5. & 6.*) sint supernaturales, ideo est; quia ibi est sermo de dispositionibus positivè conducentibus, & determinatè tendentibus ad actum super- naturalis: scilicet sermo est de vocazione DEI,

DEI, & gratia excitante, de fide ex auditu concepta (qui tamen auditus non videtur, debere esse supernaturalis) de metu, & spe &c.

696. Ob. 7. Complacentiæ simplices voluntatis necessariæ, quæ dicuntur inspirationes Spiritus S. & præcedunt actum liberum voluntatis, sunt supernaturales: ergo etiam apprehensiones præviae ad judicium. Resp. neg. cons. primò enim, aliquæ gratiæ supernæ præviae, debent etiam admitti in voluntate: atqui non possunt esse aliae, quæ simplices illæ complacentiæ necessariæ; nam actus liber non fit in nobis sine nobis: sicut tamen ex S. Augustino fit in nobis sine nobis gratia prævia: ergo illæ simplices complacentiæ debent esse supernaturales. At verò in intellectu ipsum judicium credibilitatis potest esse necessarium, adeoque ipsum potest esse illa illustratio Spiritus S., quam ipse facit in nobis sine nobis: consequenter non debet præcedens apprehensio jam esse supernaturalis, seu illustratio Spiritus S.

Secundò. Ante actum voluntatis inde liberatum, seu complacentiam simplicem necessariam, præcedit actus intellectus supernaturalis, proponens objectum voluntati, amplectendum primò per talen actum complacentiæ necessariæ, ut eadem voluntas postea idem objectum etiam amplectatur per actum liberum: atqui actus supernaturalis intellectus tendit ad supernaturalem actum voluntatis, (nam, sicut cognitio naturalis boni exigit concursum naturalem ad amorem naturalem, ita cognitio supernaturalis exigit concursum supernaturalem ad amorem supernaturalem) ergo etiam ille actus præcedens complacentiam necessariam, tendit ad complacentiam supernaturalem. At nihil simile asserri potest pro supernaturalitate apprehensionum.

697. Ob. 8. Illustrationes Spiritus S. prærequisita ad fidem, sunt ex dono Spiritus S., ut colligitur ex Arausiano II. can. 7. negante, posse hominem salutari prædicationi consentire absque illuminatione, & inspiratione Spiritus S. atqui istæ illustrationes sunt apprehensiones: ergo. Confir. Judicium credibilitatis non suadet infallibiliter, dari revelationem: sed tantum suadet, dari evidentem credibilitatem: ergo judicium non est illa illustratio prærequisita ad fidem. Resp. I. nos jam n. 687. exceptissime apprehensiones immediate præcedentes actum fidei; unde hæc objectio, & confirmatione, nos non tangit.

Cardinalis Lugo negat min. seu negat, quod illæ illustrationes sint necessariò apprehensiones: sed dicit, posse esse ipsum judicium practicum supernaturale credibilitatis, quod necessarium est, adeoque fit in nobis sine nobis: simulque facit, nos cognoscere evidenter obligationem credendi. Ad confir. Lugo potest probabiliter negare antecedens; nam eo ipso, quod judicium illud proponat evidenter credibilitatem, etiam proponit adesse ipsam revelationem, &

quidem, cùm sit actus supernaturalis, id facit infallibiliter: licet non habeat illam infallibilitatem supremi ordinis, quam habet actus fidei.

698. Ob. 9. contra 6. conclusionem, Actus virtutis superioris, e. g. charitatis, potest imperari ab actu virtutis inferioris, e. g. timoris gehennæ: ergo etiam actus supernaturalis potest imperari ab actu naturali, atque adeò pia affectio non debet esse supernaturalis. Confir. Habitus elicitiūs judicii practici, dirigentis ad piæ affectionem, & habitus ipsius piæ affectionis, juxta nos præcederent habitum fidei, sicut actus illius actum hujus præcedit: atqui nullus habitus præcedit habitum fidei: ergo. Resp. conc. ant. neg. cons. Disparitas petenda est ex nostris rationibus n. 688. allatis, quæ probant oppositionem consequentis, non verò antecedentis: &, licet omitteretur, posse aliquando aliquem actum supernaturalem imperari ab actu naturali, non posset id admitti respectu actus fidei ob dictas rationes, ut patet consideranti.

Ad confir. dist. ma. Isti habitus præcederent habitum fidei, hoc est, pro priori ad ipsum infunderentur. neg. ma. hoc est, elicerent, si alsi, suos actus, antequam suos actus eliciat habitus fidei. conc. ma. & dist. sic mi. neg. cons. Judicium illud potest procedere à prudentia infusa: pia affectio autem à speciali habitu, quem probavimus n. 526. Non autem est necesse, ut isti habitus infundantur pro priori, vel temporis, vel naturæ, ad habitum fidei; nam, quando non adest habitus fidei, etiam non adest habitus charitatis, consequenter nec habitus morales: debentque tunc illi actus elici per auxilium omnipotentie extrinsec applicata, sicut & ipse actus fidei.

Postquam autem hi actus, nempe judicii practici, & piæ affectionis, eliciti fuerunt, per auxilium omnipotentie extrinsec applicatae, tanquam dispositiones, jam potest habitus fidei pro priori ad illos habitus infundi, tanquam finis eorum: quamvis isti deinceps exerceantur. Alii addunt, quod SS. Patres, quando dicunt, fidem omnium primam infundi, intelligi debeant de habitu fidei moraliter sumpto, pro complexo omnium, ad actum fidei eliciendum requisitorum quod complexum involvit etiam habitus piæ affectionis, & prudentiæ elicitiæ judicii prævii.

699. Quæri hæc etiam solet, an species rememorativa, relicta ab actu fidei, sint supernaturales. Hanc questionem jam terig. n. 44. & sequentibus. Si vis dicere supernaturales, rationem habes n. 45. allatam. Si vis eas dicere naturales, dic, actionem quidem productivam istarum specierum, cùm essentia literiter dependeat ab actibus supernaturali bus, debere esse supernaturalem: at non propterea etiam debere esse supernaturales ipsæ species, quæ distinguuntur ab actione; nec enim implicat, effectum inferiorem naturalem produci ab actione supernaturali; licet non vicissim actio inferior naturalis possit

possit producere effectum supernaturalem.

Accedit, quod posito actu fidei, cum hic simul sit vitalis debeatur naturae agenti, scilicet intellectui, aliqua species ipsius, ut possit actus illius, non quidem tanquam supernaturalis, sed tamen tanquam cognitionis vitalis, recordari, & rationem de eo reddere, ac actiones suas regere &c: ergo videtur debere dari aliqua species, quæ sit intrinsecè naturalis, licet præsuppositivè supernaturalis: & eodem modo loquendum est de speciebus rememorativis aliorum actuum supernaturalium. An autem præter has species naturales debeant etiam admitti aliqua supernaturales, tu ipse libratis rationibus decerne. Videri etiam potest Lugo de fide disp. 9. sec. 4. n. 76. §. inferno 2d.

700. Quæri ulterius potest, unde actus fidei defumat suam supernaturalitatem, an tantum ab habitu, & gratia, à quibus certò habet supernaturalitatem: an verò etiam ab objecto formalis, seu revelatione, ita, ut nullus actus naturalis possit tanta firmitate revelationem attingere, quanta eam attingit actus supernaturalis fidei. Hoc secundum volunt Suarez l. 2. de necessitate gratia. c. 11. n. 8. (ubi citat pro se etiam S. Thomam) & alii. At Lugo de fide disp. 9. sec. 1. per totam negat, saltem de actu supernaturali in genere, eum absolute necessariò debere trahere supernaturalitatem ab objecto formalis; quamvis dein n. 18. dicat, actus saltem voluntatis supernaturales, differre semper ratione motivi: rēmque hanc explicat, ut nos explicavimus n. 31. de objecto virtutum moralium, quæ ibi videri possunt. Ab actu fidei Theologica videtur Lugo præscindere, & nos etiam præscindimus; nec enim lubet, questionem hanc valde speculativam, nec necessariam, ulterius examinare: præsertim, cùm potius spectet ad tractatum de gratia. Videri possunt citati autores, sufficit nobis, actu fidei certò habere supernaturalitatem ab habitu, & gratia.

ARTICULUS III.

Quomodo Habitus Fidei se habeat ad Gratiam Sanctificantem.

701. Dico 1. Habitus fidei probabiliter nunquam infunditur ante gratiam. ita Lugo, Ripalda, Arriaga, Haunoldus l. 3. tr. 1. c. 9. contr. 1. n. 419. & alij: atque etiam S. Thomas l. 2. q. 62. a. 4. in corp. ubi docer, habitus Theologicos simul infundi, quamvis actus fidei præcedat actum spei, & charitatis. item 3. p. q. 85. a. 6. in corp. ubi ait, virtutes connexas omnes simul incipere in anima. Prob. conclusio 1. Ex Concilio Vienensi Clementin. de summa Trinit. c. 1. item ex C. Majores. de baptismo. citatis n. 23. habetur, parvulis infundi virtutes, ex virtute baptismi: ratio autem affertur; quod ex virtutes infundantur adultis, & eadem sit generalis efficacia meritorum Christi, quæ per baptismum applicantur parvulis, & adultis: atqui, si adultis jam infunderetur ha-

bitus fidei ante baptismum, seu antequam recipierent gratiam, ob elicium prius actum fidei, mala esset argumentatio ab adultis ad parvulos; quia isti non possunt elicere actum fidei: ergo. Confir. Adulti non possunt recipere gratiam ante elicium actum fidei: imò neque statim cum actu fidei; quia adhuc requiritur, vel contritio, vel sacramentum: ergo, si posito actu fidei statim infunderetur habitus fidei, tunc iste semper infunderetur adultis ante gratiam, & ante baptismum: hoc autem dici non potest: ergo. prob. subsumpt. Papa, & Concilium supponunt, habitum fidei etiam adultis infundi per baptismum in re, vel saltem in voto suscepsum: ergo.

702. Probatur 2. Tridentinum *seff. 6. c. 7.* sic definit: *Unde in ipsa justificatione, cum remissione peccatorum, hac omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inscribitur, fidem, spem, & charitatem:* ergo ista simul cum justificatione, seu gratia, infunduntur. Loquitur autem Concilium de habitibus; nam ait, hanc fidem, ex Apostolica traditione, catechumenos petere ab Ecclesia: non autem petunt fidem actualem, quam jam ante baptismum afferunt: ergo habitualem. Ex quo etiam confirmatur sententia nostra; quia, si hanc, id est, fidem habitualem catechumeni petunt, ea non jam ob actu fidei præcedentem infunditur ante baptismum, in quo infunditur gratia.

Dicere autem illud *simul* significare, non simultatem temporis, aut naturæ, sed tantum simultatem omnium trium virtutum, hoc est, ut nulla non infundatur, est sensum sine necessitate torquere: & licet juxta aliquos debeat ita explicari illud Ecclesiastici 18. v. 1. *Qui vivit in aeternum, crevit omnia simul* (eoquod aliter non videatur posse esse verus hic textus in sensu literali) non tamen sine necessitate (qualis circa verba Tridentini nulla est) debet, aut potest particula *simul* semper ita explicari; alias, si quis ab uno Episcopo, servatis interstitiis, successivè receperisset omnes ordines, posset dici, eos simul accepisse. Sed nec dici potest, Tridentinum tantum loqui de ordinariè contingentibus; nam propositio indefinita in materia dogmatica æquivalet universalis: dein juxta adversarios neque ordinariè infunderetur fides post gratiam, imò nunquam adultis, ut patet ex dictis n. præcedenti. Neque tandem dici potest, Concilium loqui tantum de fidei augmento; nam eodem modo loquitur de fide, ac charitate: at non loquitur de augmentatione, sed de prima infusione charitatis: ergo.

703. Dico 2. Habitus tamen fidei manet in peccatore sine gratia, si is non incidat in hæresin. ita Tridentinum *seff. 6. c. 15.* ubi docet, per infidelitatem fidem amitti: non verò per quodcumque aliud peccatum, quo tamen amittitur gratia, ut ibidem habetur. Licet autem ibi Concilium non utatur termino *habitus*, loquitur tamen de isto, seu de fide habituali, ut patet ex contextu; quia Concilium semper loquitur de habitu capitibus antecedentibus, ut iterum pater,

pater ex dictis n. precedenti. Eadem conclusio quod i. partem desumitur ex omnibus illis S. Scripturæ locis, quibus probatur, fidem esse posse sine charitate, quæ vide apud Bellarminum tom. 4. contr. 3. general. 2. princip. l. 1. de justificatione c. 15. sic Joannis 12. v. 42. Ex principibus multi crediderunt in eum: sed propter Phariseos non confitebantur, ut e synagoga non ejicerentur; dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam DEI. & Jacob. 2. v. 20. Fides sine operibus mortua est.

Obiter hic addo, etiam manere in peccatore spem. Probatur hoc auctoritate omnium Theologorum, & paritate à fide desumpta. Excipe tamen, nisi quis desperet, aut infidelis fiat; nam desperatio, utpote strictè opposita spei, istam destruit: infidelitas autem, ut dictum est, destruit fidem: cùmque fides sit fundamentum spei, illa destruēta, etiam ista destruitur.

704. Quæri ulterius potest, an habitus fidei (& idem est de spe) maneat in peccatore, ex natura rei, sive juxta exigentiam ipsius habitus: an verò præcisè ex libero decreto conservetur à DEO, contra, vel supra suam exigentiam. Hoc secundum afferit Lugo de fide disp. 16. sec. 2. n. 29. ex ea ratione, quam ponit n. 26. scilicet, gratiam esse naturam in ordine superno, & habitus esse ejus potentias: potentias autem non manere destruēta earum naturā, sicut non manent potentiae auditiva, visiva &c. destruēta naturā animalis. Addit tamen, non propterea miraculosè fidem conservari; cum hoc fiat ex lege universalī, à DEO, justis de causis, contra, vel supra exigentiam habituum statuta.

Ripalda contra, & alii dicunt, fidem connaturaliter in peccatore fidei manere. Ajunt hi auctores, quod, licet non omnes potentiae, quæ non possunt connaturaliter produci absque natura eas exigente, possint manere ista destruēta, tamen possint manere aliquæ destruēta naturā: sic ajunt, virtutem germinandi, quæ est potentia grani, manere in grano emortuo: sed hoc exemplum vim non habet apud eos, qui admittunt vitam seminum. Negari tamen non potest, quod maneat in cadaveribus destruēta anima potentiae aliqua producendi certos effectus, ut patet in herbis: quos effectus, si etiam attribuas formis partialibus, dici poterit, has ipsas formas esse in aliquo sensu potentias animæ subordinatas. Sed neque debet esse omnimoda paritas, inter verè, & strictè dictam naturam, ejusque potentias, ac inter tantum quasi naturam, ejusque quasi potentias; potuit enim DEUS pro libitu producere habitus fidei, & spei, cum tali, vel alia exigentia: quid autem fecerit, est satis incertum, quamvis neutri sententia negare velim suam probabilitatem.



ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

705. Ob. 1. contra i. conclusio nem. Habitus fidei conservatur sine gratia: ergo ei am sine illa producitur. Confir. 1. Tridentinum sess. 6. c. 8. ait: *Fides est humanae salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis*: ergo debet infundibitus fidei ante justificationem, seu gratiam. Confir. 2. Qui accedit cum actu fidei ad baptismum, sed tamen cum aliquo peccato, e.g. luxuriæ, licet non recipiat gratiam, tamen recipit characterem, & fidem: ergo fides recipitur ante gratiam. Resp. conc. ant. neg. consl. Ratio responsionis desumitur partim ex dictis num. preced. partim ex rationibus conclusionis: insuper in plurimis patet, plus requiri ad primam productionem, quam tantum ad conservationem rei.

Ad 1. confir. neg. consl. Tridentinum ibi loquitur de fide actuali, ut patet vel ex eo; quia dicit, nec fidem, nec opera mereri justificationis gratiam: ergo loquitur de fide, quæ saltem generice accepta, potest esse meritaria: hæc autem est actualis, non habitualis: adeoque ex illis verbis nequit inferri, quod debeat infundi habitus fidei ante justificationem. Ad 2. confirm. neg. ant. cum Lugone de fide disp. 16. sec. 2. n. 22. non enim ponitur sufficiens dispositio ad unum habitum, nisi ponatur ad omnes, nec habemus sufficiens fundamentum ex Scripturis, vel Conciliis, adstruendi in tali casu efficaciam baptismi dimidiatam, in ordine ad habitum, sicut ad characterem.

706. Ob. 2. Tridentinum sess. 6. c. 7. ait: *Nam fides, nisi ad eam spes accedat, & charitas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit*: ergo fides debet prius infundi; alias spes, & charitas, non possent accedere. Confir. 1. Hæreticus, quando accedit ad fidem, dicitur jam fidelis, antequam justificetur: ergo jam habet habitum fidei. Confirm. 2. S. Thomas 2. 2. q. 6. a. 2. ad 3. ait: *Quod ille, qui accipit à DEO fidem absque charitate, non simpliciter sanatur ab infidelitate*: ergo fides infunditur absque charitate.

Resp. neg. consl. Per accedere Tridentinum tantum intelligit conjungi; alias nunquam, neque parvulis possent simul infundi istæ tres virtutes; quia, si simul infunderentur, non accederent spes, & charitas ad fidem, quod tamen Tridentinum requirit ad justificationem; unde per accessum intelligitur tantum conjunctio: estque hic modus loquendi frequens: sic dicimus, sapientiam non esse valde astimandam, nisi accedat pietas. Ad 1. confir. neg. consl. Luxuriosus, si det eleemosynam, dicitur misericors: quin tamen habeat habitum infusum misericordie; quare terminus fidelis potest significare

gnificare, vel habentem habitum fidei, vel habentem actum fidei moraliter perseverantem: & in hoc secundo sensu talis haereticus dicitur fidelis.

Ad 2. confir. neg. conf. S. Doctor loquitur de fide actuali, quam DEUS donat peccatori infideli, dum cum eo per auxilium extrinsecum concurrit ad actum fidei, ut colligitur ex toto illo articulo, & vel maximè ex illis, quæ eodem loco habet, nempe per solam fidem non sanari hominem simpliciter; *quia non removetur culpa precedentis infidelitatis*: sed tantum sanari secundum quid, *ut scilicet cesset à tali peccato*, seu actu peccati; nam statim addit: *Hoc autem frequenter contingit, quod aliquis defiat ab uno actu peccati, etiam DEO hoc faciente, qui tamen ab actu alterius peccati non deficiat, propria iniquitate suggerente: & per hunc etiam modum datur aliquid homini à DEO, quod credat: ergo loquitur Angelicus de cessatione ab infidelitate actuali, seu de actu fidei: quem actum etiam significat ipsa vox *credere*.* Quando autem huc afferuntur textus S. Augustini, citati n. 621. ipsi quoque explicari possunt de fide actuali.

707. Ob. 3. Gratia requirit aliquam dispositionem in subjecto: ergo ante illam prior infunditur fides. Confir. Si fides, & spes, dependent à gratia, non est assignabilis ratio, cur præ habitibus moralibus in peccatore conserventur: sed debet dari ratio: ergo. Resp. retrorq. argum. ergo etiam habitus pœnitentia infunditur ante gratiam; quia etiam aliqua pœnitentia præquiritur. In forma dist. ant. gratia requirit aliquam dispositionem actualem. conc. ant. habitualem. neg. ant. & conf. Dispositio autem ista, sive actus fidei, aut aliarum virtutum, non procedunt ab habitu, sed ab auxilio extrinseco, sicut etiam actus contritionis, si eliciatur à peccatore.

708. Ad confir. iterum retrorq. argum. Si habitus fidei, & spei, non dependent à gratia, cur dependent alii? scilicet talis est voluntas DEI, quæ innotescit nobis sufficiens ex Tridentino. In forma. dist. ma. non est assignabilis ratio, distincta à voluntate DEI, quæ nobis certò sit cognita. om. ma. quæ saltem probabiliter sit nobis cognita. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conf. Per se sufficeret sola voluntas DEI: potest tamen adhuc alia assignari ratio probabilis, ex eo, quod habitus fidei, & spei, sint quasi fundamenta vita spiritualis, & eorum actus maximè necessarii, quodque DEUS ex sua misericordia noluerit, hominem spoliare omni dono supererno: sed voluerit, ei hos habitus relinquere, nisi specialiter, per peccata immediatae opposita, eos demereatur. Cum autem habitus pia affectionis etiam necessarius sit ad actus fidei, putant Lugo disp. 10. de fide sec. 3. n. 44. & Haunoldus l. 3. tr. i. c. 9. n. 431. etiam eundem in peccatore manere: imo & habitum elicivum judicii practici supernaturalis de credibilitate revelationis: quod quidem valde pro-

R. P. Ant. Mayr. Theol. Tom. I.

babile est: sed non ita certum, ut certum est manere habitus spei, & fidei, de quibus id est de fide ex Tridentino. Contra 2. conclusionem non est, quod à Theologis obijciatur. Jam quæstionibus hucusque agitatis affinis est quaatio de subjecto habitus fidei: ex cuius occasione etiam statim agendum, de subjecto spei, & charitatis; tum ne plura hæc dicenda, alibi iterum repeti necesse sit; tum ut disserimen inter habitus Theologicos hac in re clarius notetur.

QUESTIO III.

De Subjecto Habitū Fidei.

ARTICULUS I.

In quibus Subjectis dentur Habitus Fidei, Spei, aut Charitatis.

709. **D**ico 1. Habitus charitatis datur in omnibus justis, viatoribus, & comprehensoribus, etiam ipso Christo Domino: non autem in graviter peccantibus, ita certissima omnium. Prob. 1. p. conclusionis. In primis si supponatur, habitum charitatis (ut aliqui volunt) esse identificatum cum gratia sanctificante, tunc clarum est, quod sit in omnibus justis, in quibus omnibus est ea gratia, utpote forma denominans justos: cùmque Christus Dominus etiam habeat gratiam sanctificantem, ejusdem speciei cum nostra, etiam in ipso erit habitus charitatis.

Si autem supponatur (ut plures volunt) habitum charitatis esse distinctum à gratia, tamen negari non potest, quod ipse ex lege DEI sit semper connexus cum gratia, & cum ea in justificatione infundatur, ut docet Tridentinum sess. 6.c.7. his verbis: *Unde in ipsa justificatione, cum remissione peccatorum, hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inscribitur, fidem, spem, & charitatem.* Intelligitur autem charitas habitualis; nam hæc ibidem dicitur justificatis inhærente: hoc est, in ipsis tamdiu manere, donec peccato gravi expellatur: ergo iterum, ubi datur gratia, scilicet in omnibus justis, datur etiam habitus charitatis, cum ea connexus, & cum eadem infusus: cùmque, ut jam dictum, Christus Dominus habeat etiam gratiam sanctificantem, quamvis longè intensiorem, tamen ejusdem speciei cum nostra, quæ est radix habituum supernaturalium, habet etiam similem habitum charitatis, uti omnes concedunt.

710. Hic autem habitus charitatis non cessat in Beatis, seu comprehensoribus (uti cessat fides, & juxta multos etiam spes) nam in celo quoque charitas potest elicere suos actus amoris, ubi tamen fides suos actus non potest elicere: neque etiam spes juxta eos, qui eam in Beatis negant permanere. Hinc de charitate dicit Apostolus 1. Corinth. 13. v. 8. *Charitas nunquam exedit:* quæ verba Cc SS. Pa-

SS. Patres citandi n. 713. & interpres, communiter explicant in hunc sensum, quod charitas nunquam cesseret, nisi peccato gravi destruatur: & hinc nec in celo definit, ubi peccato locus non est: imò Estius in hunc locum ait, hanc sensum palam ostendi ex subsequentibus donis, quæ ibi dicuntur cefare.

Probatur jam 2. pars conclusionis, scilicet, quod charitas non maneat in ullo graviter peccante. Concilium Tridentinum sess. 6. c. 15. sic definit: *Afferrandum est, non modo infidelitate, per quam & ipsa fides amittitur, sed etiam quocunque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam justificationis gratiam amitti.* Jam huic justificationis gratiae est annexus, saltem ex lege DEI, habitus charitatis, ut supra dictum: ergo iste habitus una cum illa gratia amittitur: & hanc sequelam ex his verbis deducunt omnes Theologi post Tridentinum: & qui priores fuerunt, idem eriam jam ante Tridentinum docuerunt.

711. Dico 2. Habitus fidei, & spei, dantur in quolibet puro homine justo, & viatore, donec per peccatum ipsi contrarium expellantur. Dico 1. *puro homine*; nam alter loquendum est de Christo Domino, qui, ut paulo post dicemus, nec habitus fidei, nec spei habuit. Dico 2. *viatore*; quia de Beatis postea loquemur. Conclusio est certissima, & prob. Tridentinum citatum n. 709. dicit, hos habitus infundi in justificatione, adeoque dari in justis: Addit dein sess. 6. c. 15. fidem non amitti quocunque graviter peccato: ergo multo magis sentit, eam manere in omni justo: & par est ratio de spe. Accedit, quod isti habitus, ut & habitus aliarum virtutum, ex natura sua sint permanentes, nisi a contrario expellantur: ergo.

712. Quod jam spectat ad expulsionem, seu destructionem istorum habituum, docet Tridentinum sess. 6. c. 15. (verba dedimus n. 710.) fidem non destrui, quovis peccato, sed tantum infidelitate, quæ est ipsi directè contraria: & à paritate rationis inferunt communissimè autores, etiam spem non destrui, nisi vel destructa fide, cui quasi fundamento innititur, vel admissa desperatione, que spei immediatè contraria est. Quod verò attinet ad reliquos habitus virtutum supernaturalium, docent communissimè autores, eos, cum radicentur in gratia sanctificante, cum ista etiam destrui per quodvis mortale peccatum.

Cum autem hæc res potissimum decidenda sit ex autoritate, ex qua nobis innotescere debet voluntas DEI, volentis potius producere habitus talis naturæ, aut essentiæ, quam alterius, ideo hic ipse consensus communissimus authorum est optimum argumentum, & solida probatio. Quare autem DEUS voluerit, relinquere homini peccatori, non quidem alias virtutes, attamen fidem, & spem, ratio præcipua est ipsius benignissima voluntas, qua noluit hominem, quamvis peccantem, privare pri-

mis quasi radicibus conversionis, per quas nempe fit primus motus præparationis ad justificationem, de qua præparatione agit Tridentinum sess. 6. c. 6.

713. Dico 3. Habitus fidei non datur in Beatis (& par est ratio de Christo Domino adhuc vivente; cum hic nunquam fuerit tantum viator, sed semper simul comprehensor, hoc est, gaudens visione beatifica DEI) ita communis. Prob. S. Paulus 1. Corinth. 13. v. 9. ait: *Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus: cum autem venerit, quod perfectum est, evanescatur, quod ex parte est: id est imperfecta cognitione fidei cessabit.* & infra v. 12. *Nunc cognoscimus ex parte, tunc autem cognoscemus, sicut & cognitus sumus: nunc autem manent fides, spes, charitas.* Ubi per particulari autem videtur Apostolus innuere diversitatem statutis viae, in qua manent tria haec, à statu patriæ, in qua manet sola charitas: de qua scilicet jam dixerat v. 8. *Charitas nunquam excidit:* unde S. Hieronymus in 1. ad Cor. c. 13. & in hac verba ait: *Charitas nunquam excidit, hoc est, ipsa sola permanet in futuro.* & S. Chrysostomus homil. 34. in c. 13. ep. 1. ad Cor. & hunc locum, docet, Apostolum extollere charitatem supra fidem; eoquod ista semper duret, imò post mortem in futuro crescat. Idem docent SS. Augustinus, Anselmus, & alii.

Ratio autem est; quia obscuritas fidei, licet stet cum evidenter in attestante, seu cum evidenter aliqua abstractiva, de existentia testimonii Divini: non tamen stat cum evidenter intuitiva, seu clara visione beatifica ipsius testimonii Divini in se, ut sumitur ex illo 2. Petri 1. v. 19. ubi fides vocatur *lucerna lucens in caliginoso loco,* donec dies elucescat, & Lucifer oriatur: hoc est, donec dies visionis beatifica adveniat, quo cesseret fides: sicut nempe lucerna extinguitur die illucescente. Hinc, licet Beati non omnia viderent in Verbo; quia tamen vident intuitivè ipsam authoritatem Divinam, seu testimonium DEI, non haberent amplius objectum formale, prout requirunt ad fidem: adeoque nec illa, quæ in autoritate, seu testimonio DEI clare viso videnter, possent strictè loquendo credere, seu actum fidei circa ea elicere.

Quare, cessante fine habitus fidei, cessat etiam ipse habitus; unde, quando de Christo Domino dicitur Isa. 11. v. 5. *Et erit justitia cingulum lumborum ejus: & fides cinctorum renum ejus:* per fidem non intelligitur habitus fidei Theologicæ, sed fidelitas, ut habet Cornelius in hunc locum Isaie: vel intelliguntur ipsi fideles, qui Christum, tanquam suum servatorem, honoris causa circumdabunt, ut habet idem Cornelius ibidem, & Melchior Canus de locis Theol. l. 12. c. 13. resp. ad 1. An etiam cesseret in celo pia affectio, quæ, cum sit habitus voluntatis, possitque elicere alios actus, saltem secundarios, e. g. gaudii de actibus fidei, in via elicitis, nolim divinare. vide Arriagam

gam, & præsertim Cardinalem de Lugo de fide disp. 17. sec. 3. à n. 45.

714. Dico 4. Habitus fidei etiam non manet in damnatis, aut dæmonibus. ita communis, & verissima cum S. Dionysio de Divin. nomin. c. 4 post medium ubi docet, dæmones carere omnibus donis Divinis, tam secundum habitum, quam secundum operationem; sic enim ait: *In quo enim, obsecro, malos fieri dæmones dicimus, nisi in vacatio*ne (hoc est evacuatione, seu privatione) *Divinorum bonorum, habitus, & operationis?* S. Augustinus quoque de civitate DEI. l. 9. c. 21. ait, dæmones non cognovisse DEUM per lumen, quod illuminat fideles, sed per alia Divinæ virtutis effecta, & signa occul-
tissima &c.

Quare dæmones quidem, & etiam Angeli beati, dum adhuc erant viatores, habuerunt habitum fidei, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 5. a. 1. in corp. ex ea ratione; quod non sint creati in puris naturalibus, nec statim facti beati: adeoque etiam debuerint habere fidem in intellectu, & spem in voluntate. Cui rationi accedit etiam ista, quod Angeli debuerint posse mereri, captivando suum intellectum, & credendo: maximè cum spirituales essent, nec patiendo mere-
ri possent. Attamen tam boni, quam mali Angeli, postea habitum fidei non retinuerunt; dæmones enim fuere illo privati, sicut homines damnati: Angeli beati cum cum visione beatifica commutârunt.

Ratio autem conclusionis, tam quoad dæmones, quam quoad homines, seu quod tam dæmones, quam homines damnati habitum fidei perdant, ex Cardinali de Lugo de fide disp. 17. sec. 2. est hæc. Habitus fidei non potest elicere actum suum, nisi præcedat donum illustrationis supernæ, quo carent dæmones, & homines damnati: & consequenter habitus fidei esset in ipsis omnino otiosus; cum tamen ipse, utpote operativus, detur in ordine ad actus. Aliud est de charactere baptismi, qui, cum operativus non sit, sed tantum sit signum potestatis, habet adhuc semper finem in damnatis: cumque cedat in majorem damnatorum confusionem, potest in ipsis manere, etiamsi supernaturalis sit; nam spoliatur quidem damnati plurimis bonis supernaturalibus, at non omnibus iis, quæ cedunt in majorem ipsorum confusionem, & tormentum.

715. Dico 5. Habitus fidei adhuc manet in animabus purgantibus. ita communis contra Hurtadum ferè solum, qui tamen etiam tantum dubitat, vel inclinat in oppositum. Prob. In primis, et si illæ animæ haberent evidentiam in attestante, cum tamen nondum habeant visionem beatificam, possent adhuc ex dictis n. 459. elicere actum fidei. Dein, ut recte ait Lugo de fide disp. 17. sec. 3. n. 49. animæ illæ non videntur habere de omnibus objectis, vel de omni revelatione, evidentiam in attestante, li-
cet habeant de aliquibus; nam eorum status, cum sit pœnitus, non excludit obscu-

ritatem &c. Adde S. Paulum 2. Corinth. 5. v. 7. de omnibus peregrinantibus dicere: *Per fidem enim ambulamus, & non per speciem:* ergo peregrinantes habent fidem: at-
qui animæ purgantes adhuc sunt peregrinantes: ergo. Quod autem Apostolus dicat, existentes in corpore peregrinari, non obest; nam animæ purgantes, eti extra cor-
pus sint, tamen peregrinantur; nam revera neccum sunt in termino, sed ad illum
tendunt, quod est peregrinari.

716. Dico 6. In Beatis non datur actus spei primarius, ita Suarez de spe disp. 1. sec. 8. n. 5. Haunoldus l. 3. tr. 2. controv. 5. n. 508. & alii. Probatur. Actus primarius spei tendit in DEUM ut bonum nobis, & possidendum à nobis, seu est desiderium fiduciale DEI ut possidendi: sed talis actus non datur in Beatis: ergo. ma. est probata suprà n. 7. mi. prob. Licet concedatur, quod actus spei non necessariò excludat possessionem boni sperati pro eodem tempore, sed tantum pro eodem signo naturæ, ut patet in Angelis, qui, ut diximus tr. de Angel. n. 114. in primo instanti se actu disposuerunt ad gratiam, adeoque etiam potuerunt se dilponere, consequenter etiam potuerunt à DEO sperare auxilia, & eodem instanti ea recipere, atque iis cooperari, & sic gratiam consequi: licet, inquam, hoc con-
cedatur, tamen actus spei primarius exclu-
dit possessionem ultimi finis; quia cum pos-
sessione ultimi finis, sive cum beatitudine,
aut visione beatifica, non potest stare actus fidei, necessariò pro priori naturæ prælucens ad actum spei: consequenter neque potest stare ipse actus spei: ergo. Secundo, quando res jam est visa ut priùs possessa, non amplius desideratur ut possidenda: & in hoc sensu debet saltem accipi illud Apostoli ad Rom. 8. v. 24. *Quod videt quis, quid sperat?* atqui per visionem beatificam videtur DEUS jam possessus per ipsam visionem, & amorem necessariò ex ista consequentem: ergo non amplius desideratur ut possiden-
dus. Quæ ratio saltem probat, quod pro sequentibus instantibus non possit dari actus spei primarius. Si autem Beati alia sperarent, distincta à DEO, & non simul DEUM, sive si sperarent alia, non ut media ad con-
sequendum DEUM, sed ita, ut hunc non sperarent, aut desiderarent, talis actus non esset actus spei Theologicæ, sed spei moralis: qui actus spei moralis potest manere in Beatis.

717. Dico 7. An in Beatis detur habitus spei, est satis incertum. Gormaz, Esperza, Torres, & alii nonnulli apud Arriagam tom. 5. tract. de spe disp. 28. sec. 3. n. 29. negant: econtra affirmant Suarez, Oviedo, Haunoldus, & Arriaga, qui addit, hanc esse communiorem: ego nolim divinare; nam, cum actus primarius, vel proprius à quo spes dicitur sperare, dari non possit: videtur neque habitus spei dari. Econtra ait Suarez, sufficere, si spes possit: licere actus secundarios, e. g. amorem, vel gaudium concupiscentiae, de ipso DEO ut nobis bono jam possesto. Sed forte iterum opponi potest, ad

essentiam actus spei pertinere, ut res nondum sit possessa: & gaudium de re referri ad alium habitum. Verum reponere potest Eximus, non debere multiplicari habitus sine necessitate: & hinc non admittendum distinctum habitum, elicivum illius gaudij, & amoris: præsertim, cum hic habitus deberet primum infundi in celo (sicut scilicet loco habitus fidei infunditur lumen gloriae) cum in statu vice gratis admitteretur ille habitus; cum nullum actum elicere posset: & hinc melius dici, quod ipse habitus spei possit elicere illos actus gaudij, & amoris: sicut castitas non tantum potest elicere actum castitatis, qua vincit tentationem: sed etiam potest de eadem victoria gaudere: quo admissio melius dicetur, manere in celo habitus spei, quam alius novus infundi.

Sic etiam aliqui admittunt, manere in Beatis habitum pœnitentiae: non, ut eliciat dolorem, cuius Beati sunt incapaces, sed tantum aliqualem retractationem. Nec Suarezio, aut etiam his auctoribus, objici potest, sic etiam in Beatis posse manere habitum fidei; nam fides semper involvit in suis actibus imperfectionem obscuritatis, incompossibilem cum visione beatifica; cum qua tamen nihil incompossibile involvit hic actus secundarius spei &c.

Sed replicat Gormaz de spe n. 5. atque ait, Beatos ordinariè gaudere de beatitudine sua, potius ut bona DEO per charitatem, & raro gaudere de illa, ut bona sibi per concupiscentiam; unde ad hos actus, raro elici solitos, non esse necessarium habitum, qui tantum datur ad actus frequentes. Idem addit, non esse paritatem ab aliis habitibus, qui gaudere possunt de suo bono; nam illi non requirunt, ad suum actum eliciendum, futuritionem sui objecti, uti requirit spes. Ego, ut jam dixi, nolim divinare, neque de habitu spei, an maneat in Beatis, neque de habitu pœnitentiae. Videri potest Suarez de virt. Theol. tr. 2. de spe disp. 1. sec. 8. n. 5. Gormaz loc. modo cit. Haunoldus l. 3. tr. 2. n. 508. & seq. Arriaga tom. 3. tr. de spe. disp. 28. sec. 3. n. 29. & seq.

De Christo Domino tamen videtur mihi valde probabile, eum non habuisse habitum spei Theologicæ; cum enim nunquam primarium ejus actum elicere potuerit, ut pote semper comprehensor, non debuit ipse habitus ille infundi, propter actus tantum secundarios; unde, quæ Christus desideravit, per alium habitum desideravit: qualisque is fuerit. Quare, quando psalmista psal. 21.v. 10. in persona Christi DEUM alloquitur, dicens: *Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre: spes mea ab ube-ribus matris meæ: vox spes non significat habitum, ut patet: neque spem objectivam, seu bonum speratum, sive DEUM, in quem tendat Christus, per actum spei, seu desiderium; nam possessor boni non desiderat illud: sed significat fiduciam, seu obje-ctum fiduciae, sive DEUM auxiliatorem; unde Jacobus Janssonius in psalterium hunc lo-cum ita interpretatur: Fiducia, felicitas,*

robur meum: & Canus de locis Theol. l. 12. c. 13. resp. ad 2. ait: Dicitur enim DEUS spes Christi; quia in DEO erat fiducia ejus, non in homine. Item, quia multa etiam a DEO sperabat, quamvis non speraret gloriam anime. Aliud est in Beatis; nam, cum isti in vita spem habuerint infusam, in or-dine ad actum primarium, quem tunc potuerunt elicere, potest forte faciliter admitti, quod idem in ipsis permanserit, quam quod novus infusus fuerit.

718. Dico 8. In animabus purgantibus datur habitus, & actus spei. ita communis cum S. Thoma. Prob. Istæ anime habent fidem, ut probatum n. 715. & necdum pol-fident DEUM, nec vident eum (ne objiciatur illud Apostoli ad Rom. 8. v. 24. *Quod videt quis, quid sperat?*) ergo possunt DE-UM possidendum sperare. Dein certudo de re consequenda, vel etiam evidencia, non opponitur spei, ut recte ait Gomaz de spe n. 12. quia, non obstante ea evidencia, tam res necdum est possessa, & desideratur, quamvis cum majore fiducia. Quod enim Arriaga dicit tom. 5. tr. de spe disp. 28. sec. 2. n. 20. nempe arduitatem spei esse incertitudinem, non est verum; longe enim melius dicitur, arduum esse idem, ac difficile; & præsertim arduum esse, quod nostris vi-ribus solis non est obtinibile, ut docet S. Thomas. 2. 2. q. 17. a. 1. in corp. & a. 5. ad 4. atque admittit Suarez de virt. Theol. tract. 2. de spe disp. 1. sec. 3. n. 2. Itēmque docet Gormaz tract. de spe. n. 11. Et hoc arduum requiritur ad spem Theologicam; si enim aliquid est obtinibile solis nostris viribus, non est arduum, ut requiritur ad spem: sed ut requiritur ad magnanimitatem, prout docet Angelicus ibidem a. 5. ad 4. Hac autem tota arduitas sine omni incertitudine datur in consequendo DEO, vel beatitudine, respectu animarum purgantium: adeoque datur arduitas ad spem omnino sufficiens.

719. Dico 9. In Angelis, dum adhuc erant viatores, etiam dabatur habitus spei. ita communis. Ratio est clara; nam habuerunt fidem, ut dictum n. 714. nec tum jam DEUM possederunt, sed tamen ad eum pol-fidendum creati fuerunt: ergo potuerunt eum desiderare: & quidem, cum habuerint auxilia à DEO sufficientissima, potuerunt etiam de eo consequendo habere magnam fiduciam: quod est formalissime sperare. An autem Angeli beati, postquam in termino sunt statuti, retinuerint habitum spei, an non, determinandum est ex eo, quod asseritur de aliis Beatis; si enim in aliis Beatis datur adhuc habitus spei, etiam dabitur in Angelis: si autem in aliis Beatis non detur, neque dabitur in sanctis Angelis.

In dæmonibus vero, & animabus damnatis, spes nulla remanet; cum enim dæmo-nes, & animæ damnatae, non habeant fidem, nec ullam aliam illustrationem supernatura-lem: insuper etiam certi sint, se in aeternum nihil boni impenetraturos, ex duplice capite non possunt ullum actum spei elicere: con-sequenter in iis habitus spei esset omnino otio-

otiosus, & superfluus: adeoque non manet. Quin imo habitus spei destruitur in peccatore, in statu viae desperante: quanto magis destruetur in aeternum desperatis in termino?

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

720. **O**b. 1. contra 4. conclusionem. Jacob. 2. v. 19. dicitur: *Demones credunt, & contremiscunt:*

atqui ibi est fermo de vera fide supernaturali: ergo. prob. mi. Apostolus supponit, fidem daemonum esse talem, qualis est fides Christianorum, quae est supernaturalis; alias male inferret, ex inutili fide dæmonum sine operibus, etiam inutili esse fidem Christianorum sine operibus: ergo. Resp. 1. cum quibusdam apud Lugo *de fide disp. 17. n. 11.* illud *credunt* significare idem, ac *crediderunt*: scilicet, dum erant in via, non autem postea; est enim apud Hebreos modus familiarissimus, ponendi unum tempus pro alio: si illud *Luc. 7. v. 47. Cui autem minus dimittitur, minus diligit*: explicatur a SS. Ambrofio, Chrysostomo, Beda, Euthymio, Theophilacto, *minus dilexit.*

Resp. 2. neg. mi. ad prob. neg. ant. Apostolus non æquiparat utramque hanc fidem in eo, quod supernaturalis sit, sed quod utraque sine operibus sit inutilis: siue deinde supernaturalis sit, sive non: &, ut ait Cornelius *in hunc locum*, vult dicere: quid prodest tibi fides tua sine operibus? tam parum, quam dæmonibus sua: licet non sit in omnibus paritas: & haec est communis responsio teste Lugo *de fide disp. 17. n. 12.* Quamvis autem hac ratione ex fide dæmonum non probaretur valde efficaciter inutilitas fidei supernaturalis, ait Lugo *ed. n. 12.* eam ab Apostolo aliis argumentis ibidem probari.

721. Ob. 2. contra 6. conclusionem. Beati, et si non possint sperare DEUM, hic, & nunc possidendum, possunt tamen sperare eum in aeternum a se possidendum; nam tempus futurum, & possessio futura, nondum possidetur: ergo Beati possunt elicere actum spei primarium, scilicet desiderium fiduciale circa ipsum DEUM. Resp. cum Suarez *de virtutib. Theol. tr. 2. de spe disp. I. sec. 8. n. 5.* nego suppositum; aeternitas enim DEI est ipse DEUS: ergo, dum possidetur ipse, jam possidetur ejus aeternitas tota simul. Si autem illud *in aeternum* appelleret super possessionem, quasi diceretur, posse sperari aeternam possessionem DEI. Resp. cum Beati sint certissimi de perpetuitate possessionis, eaque immutabiliter ipsis a DEO concessa sit, saltem in radice, quatenus ipsis concessum est lumen gloriae, quod eam exigit, non possunt eam amplius sperare, ex eo; quia non est amplius bonum arduum,

prout requiritur ad spem, ex dictis *n. 718.* Possunt enim Beati beatitudinem, & ejus ulteriorem semper continuationem, habere viribus propriis: non quidem viribus ex natura propriis, sed tamen propriis ex gratia, jam immutabiliter ipsis concessa. Licet autem requiratur adhuc concursus DEI, hoc non impedit, quo minus dicantur Beati viribus propriis beatitudinem habere: modò is concursus debeatur, ut debetur lumini gloriae; alias neque quidquam naturale possimus viribus propriis efficere. Adde, quod Beati non possint, eam possessionem perdere; unde, licet possint ulterius desiderare visionem in futurum, tamen non possunt, eam sperare per actum saltem primarium; quia eam jam immutabiliter, & inamissibiliter habent: quidquid sit, an tale desiderium dicendum sit actus spei secundarius &c.

DISPUTATIO VI.

De Spe, & Charitate Theologica.

722. **P**lura jam ante de spe, & charitate disputavimus, ex occasione. Sic habitum spei Theologicum dari probatum est a n. 8. Eum distinctum esse a fide, probatum *ibidem*, & iterum n. 16. Quodnam sit ejus subiectum, expositum fuit a n. 716. Praeceptum actus spei eliciendi explicatum est a n. 607. Parvi ratione dari habitum charitatis, eumque Theologicum esse, probatum est n. 8. Ab aliis habitibus eum distinguere est *eodem numero* ostensum, & iterum ex Tridentino n. 702. & seq. ubi ex Concilio hoc probavimus, habitum charitatis ab habitibus fidei, & spei, separabile esse. De pracepto charitatis egimus a n. 607. & seq. ut & de ejus subiecto a n. 709. Restant paucula de spe, & charitate, in elenco præscripta, quæ paucis etiam absolvemus.

QUÆSTIO I.

De Objecto Materiali, & Formali, ac Proprietatibus Habitùs Spei.

ARTICULUS I.

Quid sit Spes, & quam certa, quodque Objectum Materiale, & Formale ejusdem.

723. **D**ico 1. *Actus Spei Theologicae* rectè definitur, *Desiderium fiduciale supernaturale beatitudinis superne, DEO auxiliatori innixum.* ita ferè quoad verba Gormaz tract. de spe disp. 1. n. 10. & alii communissime quoad sensum. Explicatur, & simul probatur haec definitio, seu descriptio. Dicitur 1. *desiderium*, quod aliud non est, quam amor concupiscentiae, sive amor rei ut nobis bonæ, nondum possessæ, cum appetitu eam habendi